



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

14 714

310-113

stit. 389.

R.

CUM
PHILOS
R. P. BL
LIN

SOCIET
In alma U
loniensi S
DO
ac ib
Philosophiæ
ANNU

LO
EDITIO
COLONI

Apud Joannem Wi
im Rosenfr
Anno
Cum Facultate Sup

Phil. W. 310

Ph. W. 310-113

Philos. Instit. 389.

CURSUS
PHILOSOPHICUS
R. P. BURCHARDI
LINGEN

è

SOCIETATE JESU,
In alma Universitate Co-
loniensi Ss. Theologiæ
DOCTORIS

ac ibidem quondam

Philosophiæ Professoris Ordinarii.

ANNUS PRIMUS.

Sive

LOGICA.
EDITIO ALTERA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud Joannem Wilhelmum ODENDALL,
im Rosenfrank neben der Unnau /

Anno MDCCV.

Cam Facultate Superiorum & Privilegio Cæsareo.

APPROBATIO

R. P. Provincialis.

EGO infrascriptus Societatis JESU per Provinciam Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab admodum R. P. N. THYRSO GONZALEZ, Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandati permitto CURSUM PHILOSOPHICUM à P. BURCHARDO LINGEN Societatis ejusdem Sacerdote emensum, atque à Deputatis ad id Censuris ejusdem Societatis perlectum, & approbatum. In cujus rei fidem hasce litteras, manu propriâ, & consueto Officii sigillo munitas dedi. Coloniz, die 1. Jan. Anno 1699.

HENRICUS WEISWEILER S. J.

(L. S.)

COPIA PRIVILEGII CÆSAREI

CUM ex mandato S. Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, aliisque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmitèrque inhibeat, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hæcenus editos, aut in posterum edendos, intra S. R. I. & Regnorum ac Dominorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditarium fines, simili aliove Characterè, aut formâ, sive in toto sive in parte, excudere, recudere, vel aliò excudendos, seu recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere, ac distrahere, clam, seu palam, citra prædictorum Patrum Consensum ac testimonium, audeat vel præsumat. Ego HENRICUS WEISWEILER Societatis JESU per Rheni inferioris Provinciam, Præpositus Provincialis, concedo JOANNI WILHELMO ODENDALL, Bibliopolæ Coloniensi, pro hac vice duntaxat facultatem excudendi Librum, cui Titulus: CURSUM PHILOSOPHICUM à P. BURCHARDO LINGEN ejusdem Sacerdote emensus. In quorum fidem, hoc ei testimonium subscriptum, & sigillo munitum dedi. Coloniz Die 1. Jan. 1699.

HENRICUS WEISWEILER S. J.

(L. S.)

Bayerische
Staatsbibliothek
München



DEDICATIO.

CONCEPTÆ sine labe VIRGINI;

ILLIBATÆ sive nævo MATRI,
Admirabili, Amabili,

PHILOSOPHORUM PRÆSIDII, MARIÆ.



*Philosophiæ labor triennalis, jam à sui primordio ex
asse Tibi consecratus, in-
temerata Virgo Mater,
nunc tandem Tuâ aspiran-
te gratiâ, hoc exiguo in opere, se venit
ipse Tibi debitâ cum gratitudine ac sub-
missione presentatum. Et cui se magis de-
beat alteri, quando se totum agnoscit esse
Tuum? quò servus aliò recurrat, quàm
ad*

ad Dominam? Cuius, quam ad Curatricem? Et, si licet dicere, Filius, quam ad Matrem, non suam modò, sed Et huius qualicumque partus sui? Etenim, si qui est in illo ingenii, Tu inspirasti; si quid industria, Tu estimulasti; si quid doctrinae Tu erudisti: ingenium acuens, industriam promovens, doctrinam instillans. Quis multa? Parens es Incarnatae Sapientiae uno in Verbo thesaurum omnis scientiae inscrutabilem felicissimè complexa: cui quævis terrena pariter ac caelestis Philosophia, nisi velit omninò desipere, sese merito subordinat, humillimèque substernit. Patere igitur, ô Domina clementissima hoc qualecunque opus meum, tot tituli jam Tuum, sub præpotente protectione Tuæ pallio, adversus omnes malevolorum insidias securum delitescere: se multò magis me, meosquè tum in Vita tum in morte, perpetuo favore Tu prosequere.

Ita Sperat

B. L. S. J.



PARS PRIMA.

QUÆ EST
LOGICA

Assertiones ex Uni-
versa Logica.

I.



*Objectum materiale pro-
ximum & adequatum Lo-
gica sunt tres inveni operationes, non mero casu aut
naturaliter, sed artificialiter & cum advertentiâ ad Regulam Logicæ
rectè factibiles. Formale quod est artificiosa
earundem operationum rectitudo, quæ ipsis est
Logica. A ada-*

adequatè intrinseca & essentialis. Objectum attributionis, sed tantùm extrinsecum, Sylogismus perfectus.

II.

Logica secundùm omnem sui partem est virtus intellectualis, pro diversa acceptione ars, vel scientia, & quidem purè practica. Docens & Utens secundùm rectum non distinguuntur realiter. Non est simplex qualitas, sed per meram aggregationem una. Ad alias scientias totales perfectè acquirendas moraliter tantùm necessaria: ad quarum actus directivè tantùm concurrat.

III.

Distinctio realis non est modus superadditus, neque mera negatio identitatis, sed relatio alietatis extremorum ad se. Distinctio Rationis est duplex conceptus, vel unus duobus æquivalens, eandem rem diversimodè representans. Præscindit non objectivè, sed tantùm formaliter. Inter utramque media aut virtualis intrinseca, saltem in creatis non datur.

IV

Nullum Universale datur totaliter pariterèi, sive intra, sive extra, sive àn
fin

LOGICALIS

ſingulari exiſtens, ſed fit per actum Intellectus, non quidem fingentem, ſed praſcindentem. In actuali praedicatione de ſubjecto ſingulari poteſt manere Univerſale. Eſt verum ſumme reſpectu quinque praedicabilium.

V.

Species praedicabilia ſalvari nequit in unico Individuo poſſibili. Differentia inferior non includit formaliter genus aut differentiam ſuperiorẽ. Specifica conſiſtit in praedicatione eſſentiali notabiliter diverſo. Principium individuationis intrinſecum non eſt ordo ad materiam vel quantitatem, ſed ipſa praedicatione rei ſimilia praedicationis alterius. Poteſt ab omnibus Individuis abſtrahi ratio communis & univoca individui.

VI.

ENS univocẽ ad Praedicamenta deſcendit, eſtque verum genus reſpectu Dei & creaturae, ſubſtantiae & accidentis. Subſtantia eſt ens per ſe, accidens ens in alio. Relatio eſt ſola adaequata ratio fundandi, quae ſi fundamento eſſentialis eſt, transcendentalis, ſi non, praedicamentalis erit.

VII.

Signum in genere est, quod potentia cog-
noscitiva aptum est aliquid representare.
Aliud est naturale, aliud ad placitum. Huius
vis significativa in actu primo est volitio
instituentis, declarata, acceptata, & morali-
ter perseverans. Propositio mentalis est
actus intellectus, ferens sententiam de con-
nexionem predicati cum subiecto. Est entia
ratiōe indivisibilis. Habet pro obiecto ma-
teriali connexionem obiectivam: pro forma-
li eandem connexionem, saltem apprehensam
intercedere predicatum inter & subiectum, si
affirmativa est, negationem verò talis con-
nexionis, si negativa.

VIII.

Veritas formalis consistit in actu & obje-
cto. Nulla propositio potest esse simul vera
& falsa, aut neque vera neque falsa. Aliqua
potest de vera transire in falsam. Una po-
test esse falsior altera, sed non verior. Contra-
dictoriarum singularium de futuro contin-
gensi una est determinatè vera, altera falsa,
etiam præsciendō à præscientiâ & decreto
Dei.

IX.

LOGICALIS

5

IX.

Oppositio est duarum propositionum de eodem subjecto & predicato quadam secun-
da quantitate aut qualitate diversitas.
(contradictoria est omnium maxima, & in
qua fundantur cetera. Potest curvis pro-
positioni assignari sua contradictoria, & qui-
pollens, & ferè etiam conversens.

X.

Dilectus, ut precise est tertia mentis o-
peratio, consistit formaliter in sola Con-
clusionem, ut est totum artefactum logicum, si-
malum premissis. Quae non concurrunt ef-
fectivi, sed tantum in genere causae formalis
extrinsecae ad actum conclusionis. Ad quem
viam concessa necessitant, non solum quo ad
speciem, sed etiam quo ad exercitium.

XI.

Conclusio formaliter accepta sequitur de-
biliores partem premissarum, quarum
obiectum etiam attingit. Non tamen re-
quirit aliud iudicium reflexum de bonitate
consequentiæ, etsi apprehensio quadam con-
clusionis obiectivæ eam comiteretur.

A 3

XII.

ie cog-
sentare.
Hujus
volitio
moralis
est a-
de con-
Est enti-
je & ma-
proforma-
prehensam
objectum, si
talis con-


Et & obje-
simul vera
sa. Aliqua
Una po-
or. Contra-
ro contin-
ter falsa,
& decreto

IX.

XII.

Demonstratio est syllogismus scientificus, requirens præmissas simpliciter veras & evidentes; quæ sunt semper certiores & evidentiore conclusionem quàm tali. Scientia actualis potest in eodem intellectu stare cum actu opinionis & fidei, imò actus idem esse scientia - fides - opinio. Specifica scientiarum distinctio non desumitur per ordinem ad diversam abstractionem à materia, sed per ordinem ad objecta, præcipue formalia, notabiliter diversa.





ASSERTIO I. LOGICALIS.

Objectum materiale proximum & adequatum Logicae sunt tres mentis operationes; non mero casu aut naturaliter, sed artificialiter & cum advertentiâ ad regulam Logicae rectè factibiles. Formale quod est artificiosa earundem operationum rectitudo, quæ ipsis est adequatè intrinseca & essentialis. Objectum attributionis, sed tantum extrinsecum, syllogismus perfectus.

I.

Objectum materiale proximum & adequatum Logicae sunt tres mentis operationes.

Priusquam ista pars assertionis positæ ex fundamento stabiliri possit, cum per tò adequatum removeat omnia cætera ab objecto Logicae, antè excludi debent ea, quæ hic operose ab aliis statuuntur: & sunt primò voces

externæ. *Secundò* res sive conceptus objectivi.
Tertiò ipse Intellectus rectè operans.

I. *Primò* itaq; Voces externæ non spectant ad objectum materiale Logicæ; tum quòd antecedenter ad voces totum Logicæ artificium jam habeatur in conceptibus, in quibus proprii finem suum obtineat: Tum quòd nullæ dentur in Logicæ regulæ de vocibus rectè disponendis, sed cuncta ejus præcepta servari possint, esto nullæ forent voces externæ, ut contingere potest in muto, aliòve ignaro quidem Grammaticæ, sed Logicæ perito. Quòd si jam tibi videatur utrumque argumentum illud rectè procedere de Logicæ mentali, quæ detur proprii, darique possit sine vocibus, aut earum rectâ dispositione; sed nequaquam de vocali, quam præter mentalem insuper admittis: Jam petis principium, asserisque Logicam vocalem, quam, donec solidâ ratione probes, ut teneris, quia dari asseris, meritò negamus; firmissimè subuixi autoritate Aristotelis, qui passim Logicam vocat artem vel scientiam rationalem, nusquam vocalem. Et Divi Thomæ, qui eam esse ait in opere rationis dirigendo, nusquam in directione vocum, quod tamen aliquando debuerant meminisse, & discernere quidem, si sicut rationalem, ita & vocalem agnovissent. Certè quæ ex ipsis adferuntur pauca loca ab adversariis, & minùs clara sunt & facilem omninò interpretationem patiuntur.

II. 1. Sed audio, duo potissimùm à te cont
 repl

replicari: Primum est, quod in Logica dentur regulæ terminis ritè disponendis ; & ipse Aristoteles in Categ. egerit de Univocis, Æquivocis &c. quod usque hodie imitantur Logici profitentes. Alterum est quod in vocibus invenire sit artificium aliquod nequaquam pertinens ad Grammaticam , nec aliò satis commodè quàm ad Logicam reducibile, quale V. G. sit in Syllogismo vocali ; idque non repræsentativè tantùm , ut habet vulgaris distinctio, sed etiam entitativè, quia licet voces istæ repræsentent internum mentis artificium , sunt tamen & ipsæ reverà dispositæ in Syllogismum vocalem, idque non sine artificio. Verùm facilis ad primum est responsio, regulas istas, quod supra terminos mentales habent non pertinere ad Logicam, sed potius esse quandam manuccionem ad Logicam ; nec egisse de illis Aristotelem ut Logicum, sed ut manuccionem ad Logicam, sicut & cæteros hodie Logicam profitentes : ut nempe tyrones (cum ipsi conceptus interni sensibus subjici non possint) in vocibus internum mentis artificium faciliùs assequantur. Et ne putes id me pro libitu dicere, ratio dicendi constat ex dictis, eaque duorum Philosophiæ Principum autoritate suffulta, quæ hac in parte permagni facienda est. Ad secundum communis est responsio, totum artificium, quod est in vocibus ita dispositis, spectare simpliciter ad Grammaticam, cujus officium generale sit, ita per voces reddere conceptus, sicut illi sunt in mente. Sed videtur hoc ingens nimis onus esse

Grammaticæ, ut nempe notitiam habeat scientiarum omnium, in quibus artificium cui proprium advertere debeat Grammaticus, ritè reddat vocaliter. Quinimò sæpè requirit Grammatica voces aliter, quàm in mente conceptus fuerant, disponi: Ut si germanicè reddenda foret hæc mentalis propositio, homo est animal rationale. Et sanè si quis ita redderet, homo rationale animal est, nescio contra quam Grammaticæ latinæ regulam peccare. Demum pari jure posset quis dicere, quòd Grammaticæ conceptus Rhetoricos, & tropos atque Figuras mentales similibus aptisq; vocibus reddere, sic ut ipsa Rhetorica sit tota in conceptibus, quod verò adhibetur externum artificium in vocibus, ad eam minimè pertineat. Quare dicendum potius videtur, quòd licèt ad ejusmodi syllogismum nulla præter Grammaticam ars alia, causa tamen aliæ determinans ad talem vocum dispositionem concurrat, ipse scilicet conceptus mentis, idealiter dirigens Grammaticum, sic, ut finis ad quatum Grammaticæ sit emendata locutio, compositio autem & dispositio, quæ præter ipsam in vocibus, proveniat à conceptu mentis vel à causâ exemplari, cui loquens velit illas per omnia assimilari. Sic in simili, si quis statua artificiosè eloboratam à Statuario, velit alteri vivis coloribus depictam exhibere, is dirigit partim ab arte pictoriâ, ne contra illam erraret, partim ab ista statua concurrente exemplariter: Jam sicut idè statua ista depicta non est objectum artis statuariæ, nec ad illam statuariam ullat

ut tenetur concurrere : Ita prorsus in presenti de vocibus, quæ sunt quædam signa & picturæ conceptuum. Illud unum contra discursum hunc adhuc posset obmoveri, quòd totus valeret in Rhetorica ab oppugnante resumitur. Sed in Rhetorica secundum omnes sit ars benè dicendi, ejusque finis sit persuadere dictione, varias quoque regulas tradat circa ipsam elocutionem, modumque pronuntiandi, quòd soli conceptus conferre nequeunt ; nihil autem tale sit ex dictis in Logica ; patet inter utramque disparitas. In summa igitur, sive in hunc, sive in alium modum disponas voces, ex hoc præcisè neque bonus, neque malus es Logicus, quia nec juxta, nec contra ullam Logicæ Regulam operaris, ut quæ nulla datur de dispositione vocum. Nihilominus præsumeris esse, quia ex hoc, quòd Logicum te profiteris, censeris voces tuæ mentis conceptibus accommodare, in quibus solis bona est, malæve dispositio logicalis ; quam cum nequeat alius introspicere, tam arguit per voces.

III. *Secundo.* Res omnes extra Intellectum positæ sive conceptus objectivi non spectant ad objectum materiale proximum Logicæ : tum quia non fiunt immediatè ex directione Regularum Logicæ, ut fiunt ipsi conceptus formales, quæis pro priori positæ, tunc primò res denominantur rectè cognitæ, tum quòd universim habitus omnes practici, in quibus est Logica, ut infra constabit, suum, objectum formale inducant in materiale ; Logica autem, dato, quòd pro objecto formali habeat cognitionem

tionem rectam versantem circa res, eam certe non inducit in res, cum cognitio non sit in re cognita, sed in cognoscente: tum denique quod Regulas Logicæ tractantes de definitione, divisione, argumentatione &c. ipse Aristoteles declaret satis, de qua definitione &c. intelligi velit, cum hæc postea definiens, orationem assumit pro genere, qualis certè non est definitio aut divisio objectiva, sed formalis. Dum igitur agit Logica de Subjecto, Prædicato, Universali &c. non agit de his denominativè, vel etiam concretivè sumptis, quatenus involvunt rem, quæ subjectum, prædicatû, aut universale dicitur, sed tantum formaliter acceptis, qualiter supponunt pro sola cognitione subjiciente, prædicante, universalificante; cujus cognitionis licet objectum immediatum sit res, quia tamen hæc cognitio non est actus Logicæ elicited sive regulans, sed actus à Logica directus, hinc est, quod res, quæ objectum est immediatum cognitionis istius directæ, fiat objectum ipsius regulæ, quæ partialis est Logica, mediatum tantum.

IV. Neque dicas primò: Logica non potest dirigere cognitionem rectam, quin hoc ipso res denominetur rectè cognita, hæc enim denominatio planè necessariò confurgit; ergo res rectè cognita erit objectum Logicæ complexum, in quo res ipsa se habeat ut materiale, cognitio autem ut formale. Nam similiter Logica non potest dirigere cognitionem rectam, quæ non ipso Intellectus denominetur rectè cognoscens, dicam ergo pari jure, quod
 objectum

obiectum Logicæ complexum sit Intellectus rectè cognoscens, in quo Intellectus ipse se habeat in materiale, cognitio autem ut formale. sicut ergo denominatio intrinseca rectè cognoscens habet se merè concomitanter & præcedens ad finem Logicæ, ita etiam denominatio extrinseca rectè cogniti; foretque contenta Logica, si positâ cognitione rectâ, neutra denominatio sequeretur. Neque dicas secundo, quòd aliqua saltem præcepta Logicæ immediate agant de rebus, V. G. quòd definitio debeat converti cum definito, quòd divisum debeat à membris dividendis simul sumptis adæquari &c. Nam si intelligantur, ut hoc fiat non entitative, sed representative, rectè in definitionem ac divisionem formalem cadunt: Sic enim definitio formalis representat idem, & convertibile cum eo, quòd representat definitum formale; & dividenda formalia simul sumpta nec plus, nec minus representant, quàm formale divisum. Quòd si jam dicis, me hoc modo torquere, inque sensum improprium trahere præcepta Logicæ; cujus tamen nulla sit necessitas: Dico miscere me quidem aliquid improprietatis, sed quæ in usu humano sæpè consueta sit, V. G. cum artifex ideam artificii faciendi exhibens in ligno, dicit demonstrando: Hæc fenestra debet esse octo pedum, ista janua sex pedes alta &c. quæ certè non de idea, quam demonstrat, sed de ipso ideato intelligenda sunt. Aut cum puer à Magistro suo accipiens identidem imaginem ejusdem Crucifixi, quæritur se eandem semper ima-

imaginem accipere, dum interim non accipit eandem, sed aliam, quamvis ejusdem rei representativam. Rationes autem, cur sic præcepta Logicæ, etiam cum aliquali improprietate, explicari debere contendam, habes ex numero tertio.

V. *Tertio.* Intellectus humanus, vel etiam ipse homo rectè intelligens, non spectat ad objectum materiale proximum Logicæ: Ratio est primò, quòd nulla Logicæ regula præscribit aliquid circa Intellectum, sed tantum circa opus intellectus, dicunt enim: Definitio debet constare genere & differentiâ, Syllogismus debet constare tribus tantum terminis, & non verò sic, intellectus definiens debet recognoscere genus & differentiam rei, intellectus syllogizans debet tres solum terminos accipere &c. Jam verò finis cujusque scientiæ & artis intrinsecus, ferè ex regulis ipsius dignoscendus est, adeoque Logica, quantum ex ejus regulis licet nobis arguere, si habere t, aut habere posset actum intellectus rectum, suæque regulæ conformem, licet ab eo non denominaretur homo, aut intellectus rectè intelligens ipsa finem à regula præscriptum omnino obtineret. Quòd autem per talem actum defacit intellectus necessariò denominetur rectè intelligens, habet se per accidens, & merè concommitanter ad finem Logicæ intrinsecum, sicut habet denominatio rei rectè intellectæ. Ratio est secundò, quòd Logica sit de numero habituum activorum, quia est circa opus internum quod in ipso operante receptum, non est per

mens extra eum, postquam factum est ; habet ergo ad modum aliorum habituum activorum V. G. Musicæ, saltatoriæ &c. objectum materiale realiter à formali indistinctum ; præsertim cum specialem nullam difficultatem inveniat circa inductionem objecti formalis in materiale, ideòque nec speciales circa eam regulas præscribat, sicut ferè faciunt artes & habitus factivi, ut sutoria, statuaria &c. qui & ideo objectum materiale habent realiter præsuppositum & distinctum à formali, illudque præparant antecedehter ad hujus receptionem. Certè ut cognitio recta indugatur, recipiaturque in intellectu, nullo opus est artificio, adeòque nec ullius artis directione, cum fiat omnino naturaliter, sed tota difficultas est in ipsa cognitione producendâ, quæ proinde ut rectè fiat, opus est arte ; dirigitque Logica, intellectum quidem velut potentiam, sed cognitionem ipsam velut objectum, à suis regulis præscriptum.

VI. Sed replicabis primò ; objectum materiale Logicæ est illud, in quo recipitur ejus formale ; hoc enim in omni concreto significatum materiale est, in quo forma recipitur ; atqui in Intellectu recipitur operatio Intellectus recta, quæ est objectum formale Logicæ : ergo. Verùm adverte, quòd eodem argumento probares, aërem & aures esse objectum materiale Musicæ, pedes Saltatoriæ, manus & brachia Gladiatoris, quod etsi simpliciter concedendo digerat Giattinus ; crudum tamen teneriori stomacho aliorum ferè est omnium. Dico
igi-

igitur, hoc esse objectum Logicæ materiale, in quo recipitur immediatè & proximè illius formale, non in quo mediatè tantùm ; illud autem est ipsa operatio secundùm se spectata, non intellectus, cùm pro priori rectitudo, quæ est formale, denominet ipsam operationem rectam, quàm ab ea intellectus denominetur rectè operans. Hoc verum est, quòd operatio recta, quæ est objectum Logicæ complexum, recipiatur immediatè in Intellectu, tanquam in subjecto physico : Sed hæc receptio, seu introductio physica ad Logicam non pertinet, cùm fiat merè naturaliter, citra ullum speciale artificium, aut regulæ directionem. Quòd si jam quæras, in quo consistat ergo illa immediata & metaphysica introductio rectitudinis in ipsam operationem. R. Eam in re aliud non esse, quàm veram physicam productionem talis operationis dependenter à Regula Logicæ dirigente. Si autem quæris, quomodo nos eam concipiamus ? Dico distingui à nobis duplex prædicatū in eadem realiter operatione recta : nempe quòd operatio intellectūs sit, & sic præcisè est objectum materiale ; & quòd recta sit, & sic est formale ; quia nostro concipiendi modo, rectitudo illa est quasi superveniens ipsi operationi, acceptæ ut præcisè operatio est, eamque formaliter determinans ad esse objectum Logicæ, cùm sub alia formalitate ad aliam scientiam eadem operatio pertineret.

VII. Replicabis zdò. Hoc modo Logica intendere operationé rectam in abstracto, non verò prout est in intellectu, cùmque perficit, & reddit

reddat recte intelligentem ; id autem si foret, jam intenderet quid impossibile, cum sic in abstracto nequeat obtinere : Verum id ita quidem esset, si negativè aut exclusivè intenderet in abstracto, sic ut eas vellet extra intellectum, neque cuperet intra eum ; non si merè præcisivè. Jam verò Logica non dicit signatè, volo operationes rectas extra intellectum, nolo intra eum ; sed exercitè ita circa eandem versatur, ut modò eas obtineat, quantum est ex fine ipsius intrinsecò, ipsi perinde sit, sive habeat intra sive extra intellectum, etsi dum sunt, revera sint intra eum. Similiter cum intendit Logica operationem rectam, quæ revera est perfectio quædam intellectûs, non intendit per eam intellectum ipsa perficere, quantum est ex fine suo intrinsecò ; neque operationem istam vult, ut est formaliter intellectûs perfectio ; sed materialiter, & quæ talis est, vult formaliter ut recta est. Quod si jam urges dicendo, nullam artem ita intendere objectum suum in abstracto, & præscindendo ab omni fine *cui*. Nego Assumptum, idque præcipuè in habitibus activis, his enim nullus omnino est finis *cui* physicus, saltem intrinsecus, & ab ipsa arte intentus, sed tantum metaphysicus, qui est ipsummet objectum materiale, cui rectitudinem tanquam formam volunt, quæ etiam rectitudo est finis *Qui*, ipsa autem introductio illius in materiale, quæ est unio metaphysica, sive identitas formæ cum materiâ, finis *Quo*, è qui us confurgit unus finis adæquatus, nimirum operatio recta juxta regulam artis. Quinimò

Logica.

B

in

in factivis etiam sæpe non datur finis *cui* physicus & intrinsecus ipsius artis, distinctus a illius objecto materiali V. G. statuaria ex v. regularum artis non intendit formam statuaria nisi marmor aut ligno, in quod eam inducat nec ultra curat, in quemcunque demum finis talis statua deinde dirigatur.

VIII. Replicabis tertio. Intellectus dirigatur à regulis Logicæ, ut rectè operetur, tot enim directio, quam potest præstare Logica, eo sita est, ut Intellectum illumnet, itaque adjuvet, ut is advertendo ad regulam, eliciat operationem rectam, cum aliàs fortè eliceret irrectam; ergo intellectus est objectum Logicæ materiale, ipsa verò operatio finis & objectum formale. Sed nunquid vides, te eodem argumento probare, quòd objectum omnium fermè artium mechanicarum materiale finis manus artificis, imò & intellectus artium omnium omnium, ut quæ similiter à regulis artium diriguntur, ut rectè operentur? In forma igitur Neg. Conf. Ut enim quid sit objectum habitus practici, satis non est, quòd à regulis artis dirigatur, ut potentia & principium effectivum; sed debet ut opus ipsum dirigi, quòd ex artis aut habitus præcepto, hoc, illòve modo fiat; Sic autem Intellectus non dirigatur à Logica, sed operatio Intellectus, ut quæ opus est Intellectus à Logica directrice adjuti, uniceque intentum à regulis Logicæ.

IX. His jam ita stabilitis plana ac facilis est ratio Assertionis sub initium positæ: hoc enim est objectum materiale proximum Logicæ, quòd

quod ex eius directione bene fit, & in quo dirigendo, ut bene fiat, tota versatur; tales sunt operationes Intellectus, ut ex ipsis regulis colligatur, quæ omnes sunt circa eas præceptivæ. *um dicunt: definitio debet constare genere & differentiâ, Syllogismus debet constare tribus solum terminis &c. ergo. Hoc ipsum dicitur Thomas I. Poster. Lect. I his verbis declarat: *As quaedam necessaria est, qua fit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate & faciliter procedat: Et hæc est ars Logica, id est, rationalis Scientia, qua manifestum rationalis est ex hoc, quod est secundum Rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum Rationis, sicut circa propriam materiam.**

X. Nihilominus dices primo. Si operationes Intellectus sunt objectum materiale Logicæ, ergo vel rectæ, vel irrectæ? Non rectæ, quia non indigent directione Logicæ; cum sint essentialiter rectæ. Non irrectæ; quia non sunt capaces directionis Logicæ, ut rectè fiant, cum omnino nequeant. *Resp.* Solas operationes rectas esse objectum Logicæ, quia in his solis suum obtinere finem, nempe rectitudinem Logicæ potest. Hæ autem indigent directione Logicæ; & primâ quidem, dum primò fiunt, continuatâ, si continuantur ultra primum Instans suæ existentiz; quæ si directio deficeret, non ipsæ, sed earum loco aliæ, & forsan irrectæ, vel certe naturaliter tantum rectæ, fierent ab intellectu. Quod si jam urges, ergo non operatio intellectus, prout præscindit à recta vel irrecta,

ASSERTIO I.

erit objectum materiale, sed ipsa operatio
 recta tantum; cum tamen dici passim soleat
 operationem prout est indifferens ad rectitudinem & irrectitudinem, esse objectum materiale. *Resp.* Nequaquam operationem, ut præscindit à recta & irrecta, & utrique aliqui commune est, esse objectum Logicæ materialis, sed solam operationem rectam, quatenus præcisè concipitur à nobis, ut operatio est; ita tamen, ut rectitudinem realiter sibi identificat habeat, & præscindatur ab ea, ut dici solet positivè, non merè negativè; aliàs operationem etiam irrectam, cum utique contineantur sub nomine operationis ut sic, & præscidentis à utrisque, forent objectum Logicæ, quod falsum est, quia nullius directionis Logicæ, ordine ad accipiendam rectitudinem capace. Dum itaque dicitur, quòd operatio ut indifferens ad rectitudinem & irrectitudinem, sit objectum Logicæ materiale, intelligi non debet indifferentia quædam per utriusque differentiam perinde contrahibilis, sed quòd operatio, quæ reverà recta est, considerata præcisè ut objectum materiale est, à formali contrahendum, non importet formaliter rectitudinem aut irrectitudinem, sed ab illa positivè, à hac verò negativè tantum præscindat. hoc est non concipiatur in ea formaliter rectitudo, quæ tamen realiter est, & eadem cum illâ, ne irrectitudo, ut quæ neque formaliter, neque realiter est in illa. Quòd si putas non posse operationem, reverà rectam, ita concipi præcisè ut est operatio, quin hoc ipso pariter positivè præscin-

præscindatur ab incorrecta, ut quæ est etiam operatio intellectûs. Et huic occurri posset dicendo : quod objectum Logicæ complexum sit operatio dirigibilis ad rectitudinem, sic, ut operatio dirigibilis habeat rationem objecti materialis, rectitudo verò ad quam dirigi potest, rationem formalis : quo modo incorrectas ita planè excludes, ut nequaquam positivè pariter præscindas ab illis.

XI. *Dices 2da.* Saltem operationes incorrectæ sunt objectum reprobationis & substitutionis in Logica, cum eas multis regulis poni vetet, inque locum earum rectas jubeat substitui. Sed *Resp.* Quæstionem illam omninò levem esse, nec nisi de Voce. Nego tamen Assumpt. eò quòd omnia præcepta Logicæ directè & primariò positiva sint, etsi per accidens & indirectè ad captum Tyronum subindè explicentur negativè à profitentibus Logicam. V. G. hæc præcepta, Syllogismus constare debet tribus solùm terminis, alterutra præmissarum debet esse affirmativa &c. directè & per se intendunt Syllogismum tribus solùm terminis constantem, & saltem alterutram præmissarum affirmativam. esto quandoque explicentur à nobis hoc modo negativè : Syllogismus non debet habere quatuor terminos, neque duas præmissas negativas. Jam verò præceptum, quòd secundùm se positivum est, quia præcipit quid fieri, malè dicitur negativum, ex eo, quòd reprobet actum oppositum illi, quem præcipiebat. Quòd si tamen enixè contendas, actum talem incorrectum debere dici objectum

B 3

reproba-

reprobationis Logicæ, eò quòd contrarietatem vero ipsius regulis, non possit non ab ea tanquam vitiosus reprobari, nolim pro re tam levis tecum contendere. Minus tamen fero, ut dicatur objectum substitutionis, hoc enim potest esse reor ipsam operationem rectam, quæ locum incorrectæ substituitur, sicut est objectum directionis id quod dirigitur: Quanquam hoc leve sit.

XII. Denique probandum hic venit, quod omnes tres Intellectus operationes, nempe tam apprehensio simplex, quam iudicium, discursus, ad objectum Logicæ pari jure pertineant. Et de iudicio quidem & discursu nihil est difficultas, cum plures dari constet in Logica regulas, tum de propositione, tum de argumentatione, rectè instituendis. De apprehensione simplici est aliquantò major, remota tamen omninò non debet, cum & sint circa ipsam, non modò complexam, sed & incomplexam, tractantes regulæ. Et circa complexam quidem, versantur regulæ definiendi, dividendi &c. dicere enim quòd Definitio aut Divisio non sit, nisi cum actualiter de definito aut divisivo fit prædicatio, est contra Torrentem, cum hæc apprehensio complexa hominis, animæ rationale, sit ex communi sensu Philosophorum definitio hominis. Imò non desunt, qui cum Casilio dicant, definitionem ac divisionem omnem esse propriissimè actum mentis apprehensivum, cumque Definitio prædicatio de definito, aut Divisio de divisivo, solum Prædicatum earum habere rationem definitionis aut divisionis

fioni

tionis Circa apprehensionem verò incomplexam sunt regulæ potissimæ, quæ tractant de Universalibus V.G. de formando genere, specie &c.

XIII. Neque dicas primò. Ut aliqua operatio sit objectum Logicæ, debet esse à Logica dirigibilis; talis non est apprehensio simplex, quia omnem Logicæ directionem antecedit, cum antecedat actum omnem voluntatis imperantem, per quem Logicæ regula debet applicari. Quomodo enim voluntas poterit imperare intellectu, ut ex dictamine Logicæ talem apprehensionem faciat, nisi ea præviè apprehendatur, proponaturque voluntati, cum nihil volitum, quin præcognitum? Nam ex hoc argumento tantum sequitur, quod talis apprehensio, antequam fiat ex directione actuali Logicæ, debeat per aliam apprehensionem antecedentem proponi voluntati ut ponenda vel ponibilis, non ut actu posita, sic, ut apprehensio ponenda, quæ ante directionem Logicæ erat objectivè tantum in Intellectu. postea ex eisdem directione existat etiam subjectivè & effectivè. *Surges* etiam debere prius existere subjectivè & effectivè, eò quod non solum præviè apprehendi debeat apprehensio facienda, sed & objectum, circa quod fieri debet, quod est re ipsa & physicè existere in Intellectu talis objecti apprehensionem. Dico: Dari aliam quandam apprehensionem præviam ejusdem objecti in Intellectu, antequam procedat apprehensio de qua loquimur ex directione Logicæ; sed non hanc ipsam quæ

fit postmodum dirigente Logica. Quod ut melius percipias, cape hunc ordinem actuum hic intervenientium. *Primo*, Existit in Intellectu cognitio regulæ Logicæ V. G. docenti modum formandi Universale. *Secundo*, Succedit confusa quædam apprehensio apprehensionis formandæ circa omnia V. G. animalia, & per quam ipsa deinde fierent universale. *Tertio* venit actus voluntatis imperans Intellectu apprehensionem, quâ cuncta animalia fiant Universale. *Quarto*. Ex hoc imperio voluntatis applicatur regulæ Logicæ, ut ea actu dirigat, adjuvetque Intellectum ad talem apprehensionem ritè formandam. *Quinto* denique ex hac directione Regulæ fit apprehensio, per quam cuncta animalia jam fiant Universale. Et hæc ultima apprehensio, quæ directionem Regulæ utique consequitur, sola est objectum Regulæ istius.

XIV. Neque dicas secundo, Objectum Logicæ debet esse a Logica dirigibile in modum sciendi, talis non est apprehensio simplex: ergo. Nam satis est, quod sit dirigibile in modum sciendi imperfectum, & iuvoative talem, quales sunt omnes apprehensiones incomplexæ, quæ ad modum sciendi perfectum natæ sunt disponere. Complexæ verò ut definitio ac divisio ab omnibus inter tres sciendi modos numerantur. Quod si dicis non apparere, quid Logica directione suâ faciat circa simplices apprehensiones, cum Intellectus necessariorè apprehendat objecta, sicut illi proponuntur. Dico, hoc facere, ut Intellectus ponat appreh-

apprehensionem modò confusam, modò claram, directam & ordinatam, prout artificium requirit, cum aliàs poneret fortè operationes, quoad hoc defectuosas. Sed hinc nequaquam intères, etiam actus phantasiæ, & sensuum externorum, posse dirigi à Logica, cum in his defectus similes committi valeant; Nam correctio phantasiæ & sensuum externorum minimè spectat ad Logicam, ut ex regulis ejus deducitur, ubi nunquam pro subjecto actus isti statuuntur, sed solius Intellectûs; neque Logica, Ars, vel Scientia phantastica, aut sensualis, dicitur, sed rationalis.

II.

Nonmero casu aut naturaliter, sed artificialiter, & cum advertentiâ ad Regulam Logicæ rectè factibiles.

XV. **E**Xcludit hæc Assertio ab objecto Logicæ operationes illas, quæ casu vel ab imperito Logicæ, vel si peritus est, sine advertentiâ ad regulam operante, rectè fiunt: Et meritò, nam talis operatio casu recta, tunc cum fit, non fit ex directione Logicæ, nec unquam deinde fieri potest; ergo nec esse Logicæ objectum. Cujus ratio à priori est: quòd si deinde fieret ex directione Logicæ, non esset eadem, sed alia operatio, propter diversum modum tendendi, quo fieret, quia jam fieret cum speciali attentione, & conatu exprimendi in eâ artificium Logicæ, qualiter non fiebat antè: Cum ergo conatus iste specialis sit ipsa vitalis tendentia Intellectûs in talem operari-

ASSERTIO I.

onem, quæ tendentia saltem inadæquatè iden-
 tificatur ipsi operationi, ut suo loco videbi-
 mus; nequit esse eadem operatio, ubi conatu
 iste alius, & specie quidem diversus est. Ne
 juvat dicere, quòd Intellectus, antequam pro-
 duceret operationem illam casu rectam, si fuis-
 set actualiter instructus Regulâ Logicæ, po-
 tuisset eandem omninò operationem produ-
 cere cum advertentiâ ad regulam, quam pro-
 ducit modò sine illâ. Nam id falsum esse, pe-
 se consequitur ex ratione data, propter mo-
 dum & conatum tendendi diversum, quo tun-
 ferretur, jam verò non fertur. Quod idem est
 pariformiter dicendû, si Intellectus, postquam
 semel produxit operationem casu rectam, in-
 structus postmodum regulâ Logicæ, ex illius
 directione rursus operaretur. Nec juva-
 iterum, quòd talis operatio haberet omnem
 rectitudinem, quam Logicæ Regula præscribit
 & exigit, adeòque videatur esse logicè recta
 & consequenter esse ejus objectum : Nam est
 negativè quidem logicè recta, quia non pecca-
 contra aliquam Logicæ regulam; non tamen
 positivè illi conformis, quia neque facta, neque
 factibilis, ipsâ dirigente. Vel quod alii dicunt
 est quidem recta nominaliter, at non partici-
 pialiter, quod postremum requiritur ad obje-
 ctum Logicæ, cum Logicæ finis unicus sit diri-
 gere ad effectum objecti sui; nihilque possit
 in ulla Scientia vel Arte habere rationem ob-
 jecti materialis, quin habeat quoque rationem
 objecti formalis, sub quo sit à scientia vel arte
 rali attingibile; quod objectû formale sub quo
 in

in Logica est dirigibilitas, uti paulò post videbimus

XVI. Neque dicas. Si muro priùs irrecto deinde applicetur artis regula, hic fieri potest adhuc rectus, regulâ dirigente; ergo idem dicendum est de tali operatione casu, & nominaliter rectâ, quòd fieri possit recta participialiter, regulâ artis Logicæ dirigente. Nam nego conseq. Disparitas est duplex; prima: quòd murus iste, utpote objectum artis factivæ, sit quid permanens, habeâtque formam physicam realiter à materia distinctam, quæ proinde variari potest, eâdem materiâ permanente. Contrarium est in operatione Intellectûs recta. Altera; quòd ista artefacta externa & physica non habeant illum specialem modum tendendi, quem operationes Intellectus vitales, quæ proinde variato, & istas variari necesse est. Neque dicas iterum, hanc nostram sententiam falso niti principio, quòd scilicet actus vitales intentionales pendeant essentialiter à principiis etiam directivis tantùm, quod falsum est, cum in sententia probabili, docente libertatem esse actui voluntatis partim extrinsecam, eadem numero volitio, quæ priùs pendeat à cognitione indifferente, velut principio dirigente, pendere deinde possit à cognitione ad unum determinata. Nam quidquid sit de hac sententia circa libertatem, quæ mihi nunquam probari potuit, quantum est ex hac parte cognitionis indifferents mutata in determinatam (aliud est longè, si petatur ex parte Concursûs & Decreti Divini de indifferente transeuntis

in determinatum, in qua via Sententiam illam
 æstimo valde probabilem) quidquid sit, in
 quam, de hoc, Sententia hæc nostra non falsum
 sed planè vero nititur fundamento: quòd sci-
 actus vitalis intentionalis essentialiter pende-
 à principiis etiam directivis solùm, tunc, cum
 hæc diversum secum adferunt modum tenden-
 di, qui communis est Philosophorum sensu
 Et quoniam id fit in præsentia ex dictis, aliam
 fieri operationem necesse est, cum fit Logica
 dirigente, ab eâ, quæ fit sine tali directione
 Quòd si verò dicas, modum illum tendentiam
 specialem non esse in ipsa operatione, sed in
 actibus eam antecedentibus. scilicet in illumi-
 natione Intellectûs, & speciali conatu, qui
 ipse se ad talem operationem accingit: contra
 dico, quòd specialis ille conatus sit ipsa vitalis
 tendentia Intellectûs in talem operationem
 cum ergo in illa tendentia, saltem inadæquate
 consistat ipsa operatio, est non tantùm in acti-
 bus antecedentibus, sed & in ipsa operatione
 recta, de qua loquimur. Illud unum denique
 obmovere posses, quòd hac viâ pleræque argu-
 mentationes, aliæque operationes Logicae
 in optimis etiam Logicis, arceantur ab objecto
 Logicæ, cum plerumque non fiant cum actuali
 advertentia ad Regulam, illòque speciali co-
 natu exprimendi, in ipsis artificium à Regula
 præscriptum. Sed hæc deo. Siquidem id ita est, &
 ne tenuis quidem ac ferè imperceptibilis, ob
 nimiam eorum facilitatem, intercedit adver-
 tentia atque conatus, utique eas omnes esse ab
 objecto Logicæ removendas, ex ratione data
 quan-

quanquam intervenire ut plurimum aliqua-
lem arbitret. Hoc tamen non obstante super-
sunt Logicae pro objecto operationes ab ipsa
dirigibiles, non tot, quin plures, hoc est, poten-
tia infinitae.

III. a

*Formale quod est artificiosa earundem
operationum rectitudo, quae ipsis est
adequate intrinseca & essentialis.*

HUic Assertioni ut tanto amplius satisfaciat,
removere oportet, quae hic in objecti for-
malis considerationem venire possunt, & à
nonnullis statuuntur: Primum est intrinseca
operationum Intellectus dirigibilitas; dico
intrinseca: nam quae extrinseca est in ipsa Re-
gula dirigente, alioque nomine activa dicitur
(sicut extrinseca rei possibilitas plerumque
dicitur esse causa illius productiva) in quæstio-
nem traduci nequit. Secundum est directivitas
earum exemplaris. Tertium veritas physica.
Quartum denique, quod hic intervenire vo-
lunt Thomistæ, Ens rationis fictum, sed cum
fundamento in re, vocantque logicum.

XVII. Primò itaque dirigibilitas ista intrin-
seca, formaliter spectata, non est objectum for-
male *Quod Logicae*; quia finis illius non est illa
dirigibilitas, utpotè quam suo modo præsup-
ponit in objecto, velut conditionem *sub qua*:
sed operatio recta & conformis regulæ ipsius,
sicut calceabilitas aut statuabilitas non est ob-
jectum formale *quod artis futuriæ aut statua-*
riæ,

ria, quia non est finis illius, sed calceus & statua recta, & conformis regulis harum artium. Et univèrsim loquendo, in practicis faciilitas non est objectum formale *Quod*, sed *Sub quo*. Dixi *formaliter spectata*: Nam si dirigibilitatem illam accipis realiter, cum sic non distinguatur ab ipsa operatione recta; sicut hæc realiter loquendo tota fit ex directione *Logicæ*, ita fiet etiam ista dirigibilitas secundum esse actuale. Una hinc in contrarium obtendipotest *Æquivocatio*, quod nempe *Logica* versetur circa operationes *Intellectûs*, ut à se dirigibiles, sicut omnis habitus practicus est circa praxim ut praxis est: Sed utrumque hoc verum est, si tò ut reduplicet rationem formalem *Sub qua*; Sicut voluntas amare dicitur objectum, ut cognitum est: Secus, si rationem formalem *Qua*. Idem omninò dicendum est, cum à dirigibilitate hac dicuntur operationes *Intellectûs*, secundum se ad aliarum quoque *Scientiarum* objectum indifferentes, determinari ad esse objectum proprium solius *Logicæ*; determinari nempe per eam, velut conditionem & objectum formale *Sub quo*, non velut rationem formalem *Qua*, & objectum formale *Quod*.

XVIII. 2dò. *Directivitas exemplaris* non est objectum formale *Quod* in *Logica*; hanc enim ex fine suo *Logica* non intendit, & quamvis alia operatio nulla fieri posset ad imitationem illius, quæ defacto *Logicâ* dirigente fit, ipsa finem suum in hac unica complecteretur, cum haberet operationem suæ regulæ conformem. Frustrâ igitur obmoveretur, quòd *Logica* intendat

dat operationes Intellectûs velut modos & Instrumenta sciendi, cum ipsa sit instrumentum Scientiarum omnium, nequeat autem obtinere tales, nisi quatenus directivas: Nam ut Logica sit instrumentum aliarum Scientiarum (qualis tamen non est ex fine suo intrinseco, utpote per se ipsam satis nobilis in se consistens) satis est, quòd intendat operationes, quæ sunt modi & instrumenta sciendi, esto non intendat quæ talia. Finis ergo Logicæ est, dirigere operationes Intellectûs, ut fiant rectæ, quanquam si rectæ sunt, jam concomitanter & hoc habeant, quòd sint directivæ aliarum similium, adeoque directivitatem, sicut & dirigibilitatem, realiter loquendo, accipiant à Logica, sed non ex fine primario Logicæ.

XIX. Tertiò. Veritas physica non est objectum formale quod in Logica, nequidem partiale, quidquid contendant Giatt. & Compton. Nam cum hæc veritas sit conformitas cognitionis cum objecto, ita se habente, non est munus Logicæ eam inducere in operationem, sed haberetur ab ipso objecto, saltem partialiter, quod cum sit res, non est Logicæ considerationis ex Numero 3tio. Imò Logica finem suum obtinere potest in operatione falsa, ut constat ex multis Propositionibus & Syllogismis tantum probabilibus, qui sæpè falsi sunt, etsi perfectum contineant Logicæ artificium: Ad alias itaq; Scientias V.G. Physicam, aut Metaphysicam pertinebit, hanc veritatem procurare in actibus, qui fiunt circa objectum in materia earum. Quòd si verò subinde contingat, operationem quandam esse non posse

posse logicè rectam, nisi sit etiam physicè vera, ut fieri potest in Definitione, quæ juxta præceptum Logicæ representare debet genus & differentiam propriam rei, adeoque cum de definito prædicatur, propositio fit necessariò vera: id merè concomitanter se habebit ad finem Logicæ, ut quæ talem propositionem formaliter non intendit, nisi quatenus conformatur præceptis suis. Ad quod meritò ex aliis Logicæ regulis arguimus, quæ de hac veritate parum curant, sicut non curant de vitalitate & spiritualitate operationum suarum, etsi necessariò tales sint cum ex illarum directione fiunt, nec nisi in talibus possit Logica suum finem obtinere. Quòd si etiam Logica dicatur Instrumentum Scientiarum, quatenus illæ utuntur Logicâ ad consequendam infallibilem veritatem suorum actuum; id non erit, nisi ex fine extrinseco ipsius Logicæ, sicut ars frœnifactoria est instrumentalis respectu Equestris, quæ tamen ideo pro fine suo & objecto intrinseco non habet equitationem, sed frœnum rectum, & conforme regulis suis.

XX. *Quartò.* Ens rationis Thomisticum non est objectum formale quod Logicæ: imprimis quia in denominationibus secundò intentionabilibus V.G. Subjecti, Prædicati, Universalis &c. nullum intervenit figmentum, sed positâ solâ cognitione, sive directâ, sive reflexâ, circa rem, hæc in omni rigore denominatur esse cognita, sive directè, sive reflexè, & esse subjectum, esse prædicatum, universale &c. neq; enim denominationes ejusmodi intrinsecæ sunt, provenientes à forma quadam, quæ concipiatur esse in re,
cùm

cum non sit in re, ut contendunt Thomistæ; sed merè extrinsecæ, sicut esse visum, esse amatum, quæis nulla forma fingitur esse in objecto viso aut amato, sed formalissimè habentur à visione & amore versante circa rem. Deinde quia si gratis admitteretur, Ens tale fictum ad intentiones secundas resultare, adhuc pro objecto formali Logicæ statuendo veniret seriùs: Cùm enim sit quid consequens & resultans ad cognitiones nostras, quas ditigeret Logica, jam pro priori ad ipsum haberet Logica finem suum, nempe cognitionem rectam, suæq; regulæ conformem. Sicut in simili, si ad actus voluntatis resultaret Ens aliquod Rationis morale, hoc non esset objectum formale Scientiæ moralis, quia pro priori ad illud ipsa jam haberet finem suum, actionem scil. conformem regulis morum. Adde quòd illud Ens Rationis, si quidem daretur, resultaret omninò naturaliter, & sine speciali artificio, ad cognitiones nostras, totùsque labor artificialis versaretur in eo, ut ex regulæ præscripto recta fieret cognitio. Non est ergo quòd Ens illud Rationis dicatur esse objectum artis Logicæ, aut pro eo rectè formando ipsa regulas præscribat, sed tantum pro recta cognitione obtinendâ, ad quam conformiter suâ sponte, si quidem fit, ipsum resultabit.

XXI. Itaque cùm Aristoteles aut D. Th. objectum Logicæ quandoque vocant Ens vel opus Rationis, intelligunt opus mentis, hoc est, cognitionem, quæ Antiquis Ens Rationis dicebatur, quia fiebat à Ratione, & ut rectè

Logica. G flo.

fieret, dirigebat Logica, nequaquam ver
 intellexere fictum illud cum fundamento i
 re. Similiter cum D. Th. dicit, Ens Rationi
 propriè dici de secundis istis intentionibus
 quas Ratio adinvenit in rebus consideratis
 quæ quidem non inveniuntur in rebus, se
 considerationem rationis consequuntur, &
 ejusmodi Ens Rationis statuit pro objecto Lo
 gicæ: nihil tradit, nisi Sententiam nostran
 nam à cognitionibus nostris, quæ sunt Enti
 Rationis, & formæ denominationum v
 intentionum secundarum, res ipsas substante
 denominantur extrinsecè Genus, Species &
 quæ sunt intentiones secundæ, & has denom
 nationes Ratio adinvenit, & facit in rebu
 extrinsecè, quatenus facit cognitiones istas,
 quibus deinde res extrinsecè tales denom
 nantur. Certè D. Th. Opusc. 55. loquens de
 Universali, expressè dicit: *Universalitas ipsa e
 in actu, & nullo modo in rebus*, ubi advertenda e
 particula excludens, *nullo modo*, quod enim ra
 tio intrinsecè adinvenit, & fingit in rebus, e
 aliquo modo in rebus, non quidem reali, se
 ficto: Quod autem de Universali, idem e
 paritate rationis de cæteris intentionibus se
 cundis logicalibus dicendum est.

XXII. Sed oppones 1. Per cognitionem sub
 jicientem aut prædicantem res denominatu
 solum fundamentaliter subjectum aut prædi
 catum, formaliter autem per ipsum Ens Ratio
 nis ad talem cognitionem resultans in ipsa: ut
 aër à Sole præsentem denominatur solum fun
 damentaliter lucidus, formaliter autem à Luce
 d Solis præsentiam resultante in ipso. Verùm

Neg. simpliciter A. Sicut enim formalissimè res denominatur visa aut amata à visione aut amore, sine omni alia forma resultante, ita est in presenti; cùm sint utrobique denominatio-
 nestantum extrinsecæ. Aliud est in denomi-
 natione aëris lucidi, quæ cùm intrinseca sit, haberi nequit, nisi per formam inexistentem aëri, quam si haberet, etiam absente Sole, ut habere potest per lucem candelæ, adhuc deno-
 minaretur lucidus. non est ergo præsentia Solis forma denominans aërem lucidum, sed ipsa Lux. Si dicis, debere tamen ipsâ in re, quæ sub-
 jectum aut prædicatum denominatur, esse for-
 mam aliquam, à qua denominetur, aliàs dictu-
 rum te, quòd possit corvus denominari albus ab albedine, quæ est in Cygno. Dico: Non re-
 quiri, ut quoties est denominatio merè extrin-
 seca, forma denominans sit in ipsa re denomi-
 nata, quæ enim forma in objecto viso, amato, à
 qua tale denominetur? aliud est in denomi-
 natione albi, quæ est intrinseca. *Oppones 2.* Ens ra-
 tionis logicum est artificiosa dispositio à rati-
 one factâ in rebus cognitis: atque talis est in
 Definitione, Divisione, Argumentatione &c.
 quæ sunt objecta Logicæ, inq; iis à Logica pro-
 curatur; ergo. Verùm cùm procedat major ex
 mente Thomistarum de quadam dispositione,
 facta per rationem intrinsecè in rebus cogni-
 tis, *N. simpliciter Min.* Tota enim dispositio,
 quæ in operationibus istis fit per Rationem, est
 rebus extrinseca, in quantum Ratio, vel Intel-
 lectus adjunctus à Logica elicit cognitionem hoc
 illòve modo repræsentantem res. *Oppones 3.* Ad

C 1

Propo-

Propositionem, quâ dico, Hircus est Cervus, resultat Ens Rationis, sed metaphysicum & sine fundamento in re : ergo ad intentionem secundæ subjecti, prædicati &c. resultat Ens Rationis logicum & cum fundamento in re. Sed nego paritatem, priori enim actu res duæ inidentificabiles objective intrinsecè identificate, est enim objectum Propositionis istius facta identitas inter hircum & cervum realiter distinctos; intentiones autem secundæ formaliter nihil intrinsecè ponunt aut fingunt in objectis suis, sed denominationes sunt merè extrinsecæ, formaliter provenientes ab ipsis actibus Intellectûs.

XXIII. Atque ex his jam plana est ratio Assertionis sub initium positæ : Nimirum, Logica intendit operationes Intellectûs propter artificialem earum rectitudinem, tanquam finem suum, & hæc rectitudo est Prædicatum operationes Intellectûs primò restringens ad Logicam: ergo hæc rectitudo est objectum formale Quod Logicæ. Nihilominus adhuc audientia potissimum à te contrà obmoveri : Primum est, quod omnis habitus practicus, qualem esse dico habitum Logicæ, objectum suum formale inducat in materiale ; non appareat autem, quomodo Logica hanc rectitudinem introducat in operationem. Sed quod jam supra Num. 6. dixi, repeto facilè, & dico, Inductionem illam physicè & realiter aliud non esse, quàm veram & realem productionem talis operationis dependenter à Regula Logicæ dirigente. Quod si verò eam consideras quoad

nes,

& prout solemus concipere, duplex inter-
 venit conceptus distinguens formaliter recti-
 tudinem ab ipsa operatione, eo modo, quo
 ibidem dixi. Sed nolim hinc arguas, si illa
 introductio physicè & realiter aliud non est,
 quam vera ac realis productio talis operatio-
 nis, eam ergo potius adscribendam esse Intel-
 lectui, quam Logicæ, eò quòd ab illo pendeat
 effectivè, ab hac verò directivè tantùm. Nam
 hoc solum inde sequitur, quòd productio illa
 operationis præcisè, & secundùm Esse physi-
 cum spectata, magis pendeat ab intellectu,
 non tamen ut est productio operationis rectæ,
 & secundùm esse artificiale; Intellectus enim
 quantum est de se, æquè produceret operatio-
 nem irrectam, quòd verò nunc producat rec-
 tam, est ex directione Logicæ, atque ita recti-
 tudo operationis, Logicæ potius, quam Intel-
 lectui est tribuenda. Quòd si jam quæras, in
 quas ergo operationes, & quomodo acceptas,
 hæc rectitudo inducatur? R. Si quæras, prout
 re ipsa fit, dico induci in omnes & solas illas,
 quæ rectè fiunt dependenter à regula, inductio
 enim aliud re ipsa non est, quam productio
 operationis dependenter à Logica dirigente.
 Si verò quæras, quomodo nos concipiamus
 operationes, dum rectitudinem in eas induci
 apprehendimus? Dico: primò concipi à nobis
 confusè, & præcisè secundùm Prædicatum
 operationis; tum conceptu clariore attingen-
 tes distinctè prædicatum rectitudinis, eam ap-
 prehendimus velut formam operationi super-
 venientem: atque ita concipimus rectitudinẽ

inducuntur in operationes, quæ quidem realiter & physicè rectæ sunt, sed formaliter & metaphysicè pro illo priori rationis à rectitudine præscindebant.

XXIV. Alterum est : Quòd si operatione Intellectûs secundùm se sunt objectum materiale, & rectitudo ab eis indistincta objectum formale in Logica ; pari modo dici posse quòd forma calcei esset objectum materiae Sutoria, ejus autem rectitudo formale ; quòd Statua objectum materiale Statuaria, ejus autem rectitudo formale, & sic de cæteris artibus. Sed nego paritatem. Artes enim quæ hic adferuntur, factivæ sunt, quæ per se considerantur materiam, in quam artis forma, eaque realiter distincta à materia inducenda est, dum regulæ materiae tractandæ præscribunt, ut occurrentibus in eâ difficultatibus circa receptionem formæ superent, idoneamque reddant. Contrarium est in activis, ut sunt Musica, Saltatoria &c. a ceteris Logica. Vide dicta Num. 5. Tertium denique est, quòd rectitudo logica sit conformitas operationis cum regulâ Logicæ, quæ conformitas partialiter constituatur per ipsam regulam, si ergo conformitas illa est objectum formale Logicæ, ipsa Logica, utpotè eadem cum regulâ, erit objectum formale sui. Sed nego quòd ista conformitas partialiter constituatur per ipsam regulam, neque enim conformitas ista prædicamentalis est, ut est in veritate formalis physicæ, quæ conformitas est cognitionis cum objecto ita se habente ; sed transcendentalis, quæ tota essentialis & intrinseca aetui,

SCILLIS 39
 in omni re respicit ve u
 rones transcendentalis
 non moraliter esse
 in illa. Cujus ratio à pro
 s. Num. 15. quoc scil. act
 pendet à regula cãgæ
 de objecti cum ista ipe
 am hoc est, cum specia
 loque ex his jam vides. c
 fuerit hac verba: quæ re
 pte intrinseca & eñe
 IV.
 rationis, sed tantum ex
 per se perfectum.
 quid generatum sit ob
 attributionis, multo
 labores, idèque tam
 fateretur Compt. hi
 ando 17. vidisse cir
 que ut celebriores ob
 communis definitio
 partiali complex
 in tali scientia ve
 rationis illi substant, ul
 re non refertur a
 complexum. Sec
 non contenti, addu
 ex fine intrinse
 laborum attributo
 hanc utramque i
 Primis admittu
 objecti attributi
 ab intrin
 regu-

regulam verò tantùm extrinsecè respicit velut terminum hujus relationis transcendentalis, hoc est, velut principium moraliter effectivum hujus conformitatis & sui. Cujus ratio à priori petenda est ex dictis Num. 15. quòd scilicet actui essentiali sit dependere à regula dirigente, quia eidem essentiali est, fieri cum ista speciali attentione & conatu, hoc est, cum speciali isto modo tendendi. Atque ex his jam vides, cur in assertione adjecta fuerant hæc verba: quæ rectitudo ipsis est adæquatè intrinseca & essentialis.

IV.

Objectum Attributionis, sed tantùm extrinsecum, Syllogismus perfectus.

XXV.

Quid generatim sit objectum Attributionis, multò diversissimè statuunt Authores, ideòque tam varium tribuunt Logicæ. Fateretur Compt. hinc *Disp. 7.* opiniones se omnimò 17. vidisse circa hanc materiam. Atque ut celebriores obiter tangam: *Primò* & communiùs definiunt, quòd sit objectum aliquod parziale complexum, ad quod reliqua, quæ in tali scientia vel arte tractantur, & quatenus illi substant, ultimè referuntur, ipsum verò non refertur ad aliud objectum parziale complexum. *Secundò*, Alii hac Definitione non contenti, addunt, ad quod reliqua referuntur ex fine intrinseco vel ipsius scientiæ, vel objectorum attributorum. *Tertiò*, Alii viâ inter hanc utramque incedunt mediâ, & cum Primis admittunt Definitionem tanquam objecti attributionis in genere, ac præscindentis ab intrinseco & extrin-

secundo, cum secundis admittunt illam, velut objecti attributionis intrinseci, cui ut correspondens extrinsecum obtineant, addunt Definitioni genericæ, ad quod reliqua referuntur ex fine extrinsecum Authoris, aliorumve communiter talem scientiam, vel artem profitentium, quique sit ipsi Scientiæ vel Arti aliquo modo congruus, etsi non necessarius. Dico communiter profitentium, id est, non qualicumque hujus, illiusvè privati, sed quem plerique talem artem profitentes respicere consueverunt, ne totidem fiant objecta attributionis, quæ quique sibi fines in tali Scientia vel arte addiscenda potest diversissimos præfigere.

Quarto. Alii objectum attributionis confundunt cum objecto principalitatis, quò fortè respiciens Hurtaud. Demonstrationem statuit objectum attributionis in Logica, & Definitionem Compt. quem ipsi modum sciendi nobilissimum credidère. *Quinta* denique, nonnulli Recentiores post Semery novam planè cudunt de objecto attributionis Sententiam, statuuntque non unum aliquod objectum parziale complexum, sed quod per omnia Scientiæ vel Artis objecta quamlatissimè pervagetur, cujus objecta attributa secundùm plerosque eorum fiat illius proprietates, secundariò aut certè minùs per se à tali Scientia consideratæ. Sic in Logica objectum Attributionis statuunt operationem rectam in communi, quatenus primariæ circa eam Regulæ conformis est; pro objectis verò attributis claritatem, obscuritatem, ordinationem, aliàsque proprietates

ope-

operationum logicales, quæ à Regulis secundariis præcipiuntur. Hæc Sententia licet plausibilis sit, & ex eo maximè, quòd procedat in Logica conformiter ad Physicam & metaphysicam, in quibus communiter Corpus naturale & Ens statuuntur pro objecto attributionis, quibus velut objecta attributa dantur proprietates Corporis & Entis, ideòque possit sine speciali difficultate sustineri.

XXVI. Nihilominus in tanta opinionum varietate placet sentire cum Tertius, non ex alia ratione, quàm quòd conformior videatur esse communi Philosophorum sensui, qui in Questionibus de Voce, ut præsens est, habere debet plurimum momenti: Nam Authores communiter cuiusvis habitui aliquod saltem objectum attributionis assignant, quòd quia semper esse nequit intrinsecum, ut in Logica non esse constabit ex dicendis, re ipsa Divisionem illam objecti attributionis in int. & extrinsecum admittunt, esto verbotenus tam expressè non distinguant, ut fit hodie communius. Unum contradici posset, quòd si satis est ad objectum attributionis, ad ipsum referri cetera ex fine Authoris, aliorumque communiter profitentium, non sciretur, quòdnam sit Objectum Attributionis ipsius habitus, ad quem tamen debuerint maximè Authores respicere, ut illud Nos docerent, non aliud pro libitu ab ipsis substitutum. Sed facilis est Responsio, quòd per finem illum intentum ab Authoribus Nobisque sufficienter intimatum, discamus Objectum Attributionis extrinsecum habitus,

etsi non intrinsecum, quòd mirum esse non debeat in iis, ubi nullum omninò intrinsecum datur. Et quamvis Authores designantes Objectum aliquod Attributionis extrinsecum, respicere debuerint ad finem aliquem congruè ipsius habitùs; non tamen debuère, sed nec potuère ad finem generalem intrinsecum cæterorum omnium ad unum attendere, ubi is omninò nullus est; imò si vidissent talem quendam intrinsecum ipsius habitùs, debebant quidem eum statuere pro Objecto Attributionis intrinseco, eo tamen non obstante, si notâssent alium aliquem magis fore ex utilitate discen-tium, poterant ad hunc insuper referre cætera, eumque statuere pro objecto Attributionis extrinseco.

XXVII. His ita positis circa objectum attributionis in genere, ad Logicam descendit assertio. Et *primò* quidem, dari omninò nullum in Logica Objectum Attributionis intrinsecum, ex eo conficitur, quòd in eâ nullum sit objectum partiale, ad quod cætera objecta omnia referantur ex fine intrinseco, vel ipsius Logicæ, vel Objectorum attributorum. Non ipsius Logicæ, quia Logica apprehensiva pro fine suo intrinseco habet rectam apprehensionem, iudicativa Judicium, absque eo, quòd hæ partiales Logicæ objecta sua intrinsecè referant ad Discursum, uti ex earum regulis arguitur, quæ simpliciter dicunt, ita debere fieri Definitionem, ita Propositionem &c. non autem relatè ad Discursum hoc modo, ita debet fieri definitio, ita Prop. ut fiat inde rectus discursus,

ut

ut serviat Syllogismo &c. quo tamen modo deberet præcipere, si intrinsecè eò referretur. Neque objectorum attributorum, quia apprehensio & judicium sunt aliquid per se completum & expetibile à Logica, sine ordine essentiali ad Discursum, & potest absque eo haberi totum illorum artificium, sicut defacto fuit, priusquam ex inventione Aristot. Syllogismi artificium constaret. Hoc verum est, quòd ut discursus omninò perfectus habeatur, necessariò prærequirantur apprehensiones & judicia: Sed hinc tantùm sequitur, quòd ea sint aliquid necessariò præsuppositum ad Discursum, sintq; ad eundem apta referri, non quòd ita necessariò referantur, exigantve referri, sic, ut nec ipso sine Discursu subsistere, nec in ipsis sistere Logica apprehensiva aut judicativa possit. Unde mala est hæc consequentia: *Discursus esse nequit sine præviis Apprehensionibus & Judiciis: ergo nec ipsa sine Discursu*, quam tamen oporteret esse legitimam, si ex fine suo intrinsecò ad eundem referrentur. Neque dicas. pars ex natura sua ordinatur ad totum: Apprehensiones & Judicia sunt pars Discursus: ergo. Nam ut suo loco ostendetur, neque Apprehensio est pars Judicii, nec Judicium Discursus. Sed hoc dissimulatò, maj. etiam non tenet, nisi de tali parte, quæ de se incompleta est. ideòque naturaliter petit esse in toto. Aliud est de parte, quæ per se completa, potest naturaliter in se consistere, hic tamen & nunc extrinsecè & per accidens refertur aliò, ad formandum unum artificiale totum, ut sunt in casu nostro Apprehensiones &

nes & Judicia, relatè ad Discursum. Neque dicas iterum, finis intrinsecus & ultimus Logicæ est rectè discurrere, hinc enim dicta est Logica; ergo ex fine suo intrinseco cætera refert omnia ad Discursum: Nam iste non est finis Logicæ totalis intrinsecus, sed solius discursivæ, sicut finis apprehensivæ intrinsecus est rectè apprehendere, & judicativæ judicare, quæ duo licet ulterius ad Discursum ordinari possint, ejus tamen sive necessitatem, sive exigentiam, omninò nullam habent.

XXVIII. *Secundo*, Statui rectè pro objecto Attributionis Logicæ extrinseco Syllogismū perfectum, prout probabilem & demonstrativum complectitur, ex eo deducitur, quòd ad illum cætera referantur omnia ex fine Authoris, & ferè communi Profitentium intentione, ipse verò non referatur ad aliud, insuperque sit objectum aliquod parziale complexum: Nam Apprehensiones omnes & Judicia, imò & aliæ species Argumentationis omnes ad Syllogismum deservire possunt, vel ut pars ad totum, vel ut præsuppositum ad præsupponens, vel ut concomitans ad meliorem illius intelligentiam & effectiorem. Quod cum advertisset Aristoteles, ita Logicam suam distribuit, ut primò tractaret de iis, quæ ad Apprehensionem pertinent, tum quæ ad Judicium, ac denique illa quæ ad Discursum, idque in ordine ad speciem Discursus nobilissimam, Syllogismum, cujus ipse præcipuus Inventor extitit, & quem etiam ordinem pleriq; hodiedum Philosophi imitantur; non quidem ex ulla necessitate,

ite, potuissent enim singula hæ Logica, quæ
 modo *partiales* sunt, fuisse *totales*, sicutque in
Singulis; sed ex speciali quâdam congruentia,
 in *oppositâ*, quod ante Syllogismum ista cæte-
 riere præsupponantur. Neque dicas 1. Ipse
Syllogismus probabilis refertur ad *demonstrati-
 vum*, velut minus perfectum ad perfectius:
 ergo non Syllogismus perfectus, prout utrum-
 que complectitur, sed sola Demonstratio est
 objectum attributionis Logica, qualecunque
 id sit. Nam neg. Ant. Syllogismus perfectus
 dividitur in probabilem & demonstrativum,
 tanquam in species oppositas: Una autem
 species opposita non ordinatur ad aliam; sicut
 Brutum, licet imperfectius, non ordinatur ad
 hominem, tali scil. ordinatione, de qua hic esse
 sermo potest. Adhæc Judicia & Syllogismi
 tantum probabiles non deserviunt ad Demon-
 strationem, nisi valde remotè, in quantum scil.
 paulatim possunt disponere Intellectum ad
 Discursum evidentem eliciendum. Debet ergo
 statui pro objecto Attributionis aliquid magis
 commune, ad quod cætera possint propiùs de-
 servire, quale est Syllogismus perfectus, prout
 utrumque complectitur. Hoc do, quod demon-
 stratio sit objectum principalitatis in Logica,
 neque plus probant argumenta, quæ hic levio-
 ris momenti formari solita, consultius duxi
 prætereunda. Neque dicas 2. Argumentatio-
 nes fundatæ in regulis Conversionis & Æqui-
 pollentiæ, V. G. *Omnis homo est animal: ergo ali-
 quod animal est homo.* Et iterum: *Nullus homo
 est lapis: ergo non aliquis homo est lapis,* ad Syllo-
 gismum.

gismum perfectum reduci nequeunt, ut qui ex
 ipsis fieri simpliciter non potest ; ergo non
 omnia Logicæ objecta referuntur ad Syllogis-
 mum perfectum, & consequenter non est ob-
 jectum attributionis Logicæ etiam extrinse-
 cum : nam ejusmodi argumentationes referri
 saltem possunt ad Syllogismum hypotheti-
 cum, qui ex ipsis fieri potest, & in suo genere
 perfectus est. Deinde si Argumentationes istæ
 reduci nequeunt ad Syllogismum Categori-
 eum, tanquam pars ad totum, possunt saltem
 ad meliorem illius notitiam, & quidem non
 adeò remotè, deservire.

ASSERTIO II. LOGICALIS.

*Logica secundum omnem sui partem est vir-
 tus intellectualis; pro diversa acceptione Ars ve
 Scientia, & quidem pure practica. Docens &
 Utens secundum Rectum non distinguuntur reali-
 ter. Non est simplex qualitas, sed per meram ag-
 gregationem una. Ad alias Scientias totales perfe-
 ctè acquirendas moraliter tantum necessa-
 ria; ad quarum actus directivè tan-
 tum concurrit.*

I.

*Logica secundum omnem sui partem est vir-
 tus intellectualis.*

XXIX. **H**abitum intellectualem divi-
 dit Aristoteles, in virtute
 inte

intellectualem, quæ semper inclinatur ad verum, in vitium intellectuale, quod semper inclinatur ad falsum; & in habitum Intellectus medium, qui quandoque ad verum, quandoque inclinatur ad falsum. Virtuti intellectuali quinque assignavit species, habitum primorum principiorum, Sapientiam, Prudentiam, Scientiam, & Artem. Habitui medio quatuor, Fidem humanam, Opinionem, Suspicionem & Facultatem strictè dictam. Vitium intellectuale solus est error. Cùm igitur Logica sit habitus Intellectus, videndum hîc est, an sit virtus, an vitium, an habitus medius? Et quidem de sola habituali Logica sermo esse potest, actualis enim, cùm non sit habitus, sed actus, neque officium illius sit inclinare, sed tantùm dirigere, sub genere habitus non continetur, adeoque nec participare potest unam de tribus speciebus sub habitu intellectuali contentis.

XXX. Dico igitur, Logicam habitualem, secundùm omnem sui partem, ut à nobis dividitur solet, hoc est, tam secundùm Topicam & Sophisticam, quàm Analyticam, esse virtutem intellectualem, propriè dictam: Quia secundùm omnem sui partem semper inclinatur ad verum; cùm enim Logica habitualis, utpotè ab actuali sæpè usurpatâ proficiscens, inclinare saltem immediatè non possit, nisi ad eandem Logicam actualem, hoc est, ad regulas & præcepta Logicæ infallibilia (cùm habitus non inclinatur, saltem immediatè, nisi ad actus similes iis, à quibus est genitus:) ipsa nunquam poterit nisi ad verum inclinare; neque enim
putan-

putandum est, Logicam Topicam & Sophisticam actualem minùs infallibilem esse, quàm sit Analytica, cum æquè certum & evidens sit; Si vis habere Syllogismum probabilem aut Sophisticum, accipe tale medium, & sic dispone; quàm, si vis demonstrativum, accipe tale medium & sic dispone; id enim qui facit, sicut in uno, sic & in altero, talem Syllogismum infallibiliter obtinebit. Nec refert, quòd actus à Logicâ topicâ & sophisticâ actuali directi, sæpè sint quoad materiam falsi; Nam cum actus hos non inclinèt immediatè Logica habitus, quia ab his non est genita, sed ad solam Logicam actualem, quæ nunquam falsa est, id non impedièt, quòd minùs immediatè semper inclinèt ad verum. Quòd si verò quis in eiusmodi actibus directis falsis se multoties exercuerit, acquireret quidem & illorum habitum; at hic non erit habitus ipsius Logicæ, sed habitus actuum à Logica directorum, inclinans deinde ad actus similes, & qui virtus intellectualis non sit, quia inclinans immediatè ad falsum.

XXXI. Neque *dicat*. Virtute nemo malè utitur; sed Logicâ etiã analyticâ plures utuntur malè: ergo nec illa virtus est. Nam licèt id verum foret de virtute morali voluntatis (quæ tamen & ipsa à non paucis traducitur ad ostentationem & peccatum) adhuc non teneret in virtute physicâ Intellectûs, quã plures uti malè, nimis compertum est, etsi non fiat ex fine intrinseco talis habitûs; sed perversâ intentione ipsorum. De cætero nullâ prorsus virtute ad opus suum immediatum abuti datur.

Certè

Certe *mirum* est, Poliz. aliàs clari nominis *Au-*
thorem, tam levi potuisse argumento adduci,
 ut *ideo* Logicam etiam Analyticam virtutis
nomine spoliaret. Illud profectò tolerabilius
 est, quod quidam contendunt, Logicam esse fa-
 cultatem strictè dictam, adeoque ad habitum
 pertinere medium, ex eo, quòd inclinet ad
 actus etiam immediatos oppositos, quèis V.G.
 secundum partem analyticam docèt, debere
 Syllogismum tribus solum constare terminis,
 quatuor autem habere posse, tradit secundum
 partem sophisticam. Quamvis & ad hoc facilis
 sit Responsio, debere Logicam, ut inter facul-
 tates strictè dictas locum inveniret, secundum
 eandem sui partem ad ejusmodi actus imme-
 diatos oppositos inclinare, ut faciunt habitus
 isti, qui inter facultates propriè dictas nume-
 rantur, nequaquam verò Logica.

XXXII. Illud ad extremum hìc posses ex
 me querere, quid ergo dicendum de Logica
 actuali? Virtusne, an vitium est, an actus me-
 dius? Sed &c. Te hoc modo planè abuti termi-
 nis, Virtus enim Intellectus est habitus, non
 actus, ut *Nim.* 29. dicebam. Si tamen hoc abusu
 non obstante, responsionem urges, dico Logi-
 cam analyticam esse tali sensu improprio vir-
 tutem, quia dirigit Intellectum ad operationè
 semper & vi formæ, & vi materiæ bonam. To-
 picam quoque talem fore, quoties id præsta-
 bit; quod tamen, quia semper non præstat, sed
 ipsius operatio sæpè est quoad materiam ma-
 la, erit improprie actus medius. Demum So-
 phistica, cum semper dirigat ad malum, saltem
 Logica. D vi

vi formæ, eodem sensu improprio dicenda erit vitium intellectuale. Sed ut repetam, hæc mera est abusio terminorum.

II.

Pro diversa acceptione Ars vel Scientia.

XXXIII. **H**Abemus ex dictis, contineri Logicam sub genere virtutis intellectualis, & quod hinc sequitur, unam debere de quinque speciebus sub eâ contentis participare. Constat autem vel ex ipsa difficultate, quam in addiscendâ Logicâ experimur, eam non esse adeò claram, ut ad habitum primorum principiorum revocari valeat : Utileam, ejus regulas posse ulterius à priori demonstrari. Sed neque ad Sapientiam aut Prudentiam reduci potest, cum neque objectum habeat altissimum, neque per rationes altissimas de eo discurrat; aut sit habitus dirigens actiones nostras ad moralem Honestatem. Restat igitur, ut vel Ars sit, vel Scientia. Quod quidem pro diversa acceptione, utrumque dici posse, inquit Assertio, eo quòd utrumque nomen tum à Philosophis, tum ab ipso Aristotele diversimodè usurpatum esse constat. Non ut cum aliis, & verosimillimè, contendit Oportet artis nomine, in quantum una est de quinque speciebus virtutis intellectualis, intelligit Aristoteles quemvis habitum Intellectus

cti

eticum, sive de cætero activus esset, sive factivus. Nomine autem Scientiæ, quatenus & illa est de quinque speciebus una, solas Scientias speculativas complexus est. Cùm igitur Logica sit habitibus Intellectûs practicis adnumeranda, erit in sensu isto non Scientia, sed ars. nihilominus, ut alibi idem inquit Aristoteles: Cùm ars sit habitus cum rectâ ratione factivus, Logica autem habitus activus sit, insuperque nomen Scientiæ propriè talis à plerisque tribuatur habitibus etiam practicis, modò generentur, & denuò inclinent ad actus scientificos, prout generatur, inclinâtque Habitus Logicæ: Hinc est, quòd in hoc posteriore sensu, Logica Scientiæ etiam veniat accensenda, atque ita pro diversa acceptione & Ars sit, & Scientia.

XXXIV. Et de arte quidem in primo sensu nemo dubitat, siquidem inter habitus Intellectûs practicos Logicam reponit. Quòd verò etiam in posteriore sensu sit Scientia, sic ostenditur: Logica habitualis est Scientia, si actus, à quibus generatur, & ad quos denuò inclinât; hoc est, si Logica actualis est Scientia actualis, sive conclusio certa & evidens, ex Præmissis certis & evidentibus deducibilis: Sed hæc talis est: V. G. hæc Regula, sive Logica actualis partialis: *Syllogismus categoricus debet constare tribus solum terminis, evidenter deducitur ex his Præmissis certis & evidentibus: syllogismus categ. est oratio, in cujus conclusione prædicatû simpliciter dicitur vel negatur de subjecto, propter eorû con- vel disconvenientiâ cû termino medio in præmissis. Atq; talis oratio debet*

D a

consta-

constare tribus solum terminis, duobus nempe extremis, quæ in Conclusionem vel affirmantur vel negentur, & termino medio, cum quo conclusionem vel disconveniebant in præmissis. Idem est iudicium de cæteris regulis omnibus, non solum Logicæ Analyticæ, sed & Topicæ, ac Sophisticæ: V. G. quod si una Præmissarum est probabilis, Conclusio debet esse quæ talis tantum probabilis. Syllogismus categoricus constans quatuor terminis male concludit. De quibus, qui vult, videre potest pluribus *Hannoldum in Log. præct.* His adde, quod si Logica, saltem discursiva, non foret Scientia, jam Scientia daretur omnino nulla: Quæcunque enim Scientia, cum nitatur vi syllogistica, quia debet conclusiones suas evidenter ac legitime deducere; nisi vis syllogistica, quam à Logica mutuatur, certa sit & evidens, adeoque scientifica nec ipsa talis erit, cum nequeat esse certior ac evidentior, quam id, quo nititur, fundamentum.

XXXV. Nihilominus replicabis primò, pleraque, quæ tractantur in Logica, sunt tantum probabilia, certa admodum pauca; ergo à præteriori parte Logica potius opinio dicenda est quam Scientia. Sed hæc. Cuncta quæ tractantur in Logica, & sunt ipsa Logica, esse certa & evidenter, non sic ea, quæ Disputationis gratia in illam insuper invehuntur, & sunt quædam Dissertationes Logicorum in ipsam, id quod omnibus aliis Scientiis contingit. Si dicis, ipsam etiam Logicæ regulas non adeo certas ac evidentes esse, eò quod de ipsis etiam Viri doctissimi multum disputent, imò & dubitent de earum

ve

veritate. *Dico*, Oriri de iis disputationem, & fortè *Dubium* posse apud eos, qui *Logicæ Regulas* minùs penetrant, vel non acquirunt per *Discursum*. Si verò *Discursus* adhibeatur, & *legitimè* è præmissis suis deducantur, prudenter de earum veritate dubitari non potest, etsi quandoque dubitetur, cui objecto applicari, & in quo exerceri talis regula, ex *Logicæ præscripto*, debeat. *Si dicis iterum*, Hinc sequi, quòd sit evidens, quale revera sit objectum *Logicæ*, cum ipsa sit cognitio certa & evidens sui objecti. *Dico*. Sequi, quòd sit evidens, quale sit objectum *Logicæ*, quantum nobis per ipsas *Logicæ regulas* exprimitur, quas habemus, sed non ampliùs. Ita evidens est, quòd objectum *Logicæ definitivæ* sit *Definitio*: An autem sit *Definitio* sola mentalis; an etiam vocalis; an neutra, sed objectiva; an resultans ad ipsam *Ens Rationis*; cum nobis saltem non satis exprimat (dico nobis, quia fortè evidenter sciunt *Angeli*, intuitivè *Logicam* cognoscentes;) id sub lite manet, ingeniorum iudicio decidendâ.

XXXVI. *Replicabis secundo*, Ut *Logica* sit *Scientia*, acquiri debuit per *Demonstrationem*, id non potuit, quia omnem *Demonstrationem* antecedit, utpote quam ipsa dirigit. Sed *Acquisitam* primò fuisse per *Demonstrationem naturalem*, quam ipsa non dirigit. Postquam verò per illam inventa fuit *Logica argumentativa*, reliquæ illius partes, siquidem postea inventæ sunt, potuere & per artificialem, quam ipsa dirigeret, acquiri. Quòd si jam hoc

ASSERTIO II.

ipsum transferas ad artis cujusque regulas, quæ
 similiter per naturalem Demonstrationem
 acquiri potuerint, indeque inferas & illas esse
 propriè dictas Scientias; plus nimio te fatiga
 neque enim pro ipsis opus erat ad naturale
 illam Demonstrationem recurrere, cum per
 artificialem quoque a perito Logicæ deduci
 possint ex certis & evidentibus Præmissis, atque
 ita sint hoc sensu scientificæ. Sed quonia
 artes omnes hoc modo deducere sua præcep
 non curant, ut curant Scientiæ, sed potius præ
 sensum & experientiam amant illa compr
 bare, hinc nomen Scientiæ in usu communi
 non obtinent.

XXXVII. Replicabis tertio Scientia (ut a
 Aristoteles) sunt de rebus necessariis, æternis, &
 non habentibus principium ex nobis; Sed quale
 cunque tribuatur objectum Logicæ, ipsum non
 est tale. Sed si hoc dictum ita ruditer inte
 ligendum est, nulla dabitur de rebus creatis
 Scientia. Opus ergo est interpretatione, quæ
 do: Objectum Scientiæ est necessarium, non
 quòd existat necessariò, sed quòd, si existat, tale
 sit, hoc est, habeat necessariam connexionem
 talis Prædicati cum Subjecto, ex hypothese
 quòd sit: est æternum, h. e. semper verum, sic ut
 quodcunque existit, tale sit, verificetque pro
 positionem, quæ de ipso fit scientifica: est non
 habens principium ex nobis, quia cum est, non
 pendet à libertate nostra, ut tale sit vel non sit
 sed est ex se necessariò tale. Quòd si vero etiam
 dixit Aristoteles, Scientias non esse de singula
 ribus, sensus est iste, quòd Scientiæ ut plurimum
 versen-

SCIENTIÆ
 non ut fac
 predicato cor
 Scientia
 Ceterum & ce
 Scientia
 Christianis; &
 aliquid
 Dialectica
 III
 præpracticæ
 hanc est obje
 bile, aliud p
 Objectum
 ut fieri pos
 ita; sicut c
 quod verfa
 ita: nam
 & cognitio
 reproducta
 rationis
 nobis de
 Ratione
 amore S
 identifi
 sionis
 loqu
 practi
 c
 c
 c

versentur circa singularia, non ut sunt singularia, sed sub aliquo prædicato communi, ne multiplicatis singularibus, Scientiæ in immensum multiplicentur. Cæterum & de Deo, qui maximè singularis est, dari Scientiam, novit omnis Philosophus Christianus; & per expositivum Syllogismum posse aliquid demonstrari, quicumque Dialecticus.

III.

Et quidem purè practica.

XXXVIII. **A**liud est objectum practicabile, aliud praxis, aliud cognitio practica. Objectum practicabile est opus, quod fit, aut fieri potest ex directione cognitionis practicæ; sicut objectum speculabile est id, circa quod versatur speculatio, sive cognitio speculativa: nam hæc duo idem sunt, aliter ac praxis, & cognitio practica. Praxis est ipsa actio sive productio operis, quæ fit ex directione cognitionis practicæ, solétque communiter à nobis definiri: Actio naturæ intellectualis à Ratione dirigibilis; & quia secundum communioré Sententiam actus vitalis intentionalis identificatur, saltem inadæquatè, ipsi productioni sive actioni vitali, hinc est, quòd AA. cum loquuntur de actib. Intellectûs & voluntatis, praxin ferè cum objecto practicabile confundant, quæ in rigore aliàs oporteret distinguere, ut distinguuntur in arte V. G. Sutoriâ, ubi ipse calceus est objectum practicabile, actio autem factiva calcei est praxis. Cognitio

practica est illa, quæ dirigit ad effectiorem operis, neque sistit in nudâ sui objecti contemplatione, quemadmodum facit speculativa. Vel ut alii loquuntur, est cognitio, quæ versatur circa objectum operabile modo operabili, hoc est, ut communius explicant: quæ sic proponit objectum suum, ut voluntas ex vi talis cognitionis possit executrici potentiaë efficaciter imperare talis objecti executionem. Differt itaque cognitio practica à speculativa non quòd simpliciter proponat objectum factibile, neque quòd proponat modum tale objectum faciendi; hoc enim utrumque facere etiam potest cognitio speculativa; sed quòd extendendi modo sibi intrinseco ita objectum proponat, ut inclinet ad illius effectiorem, alliciatque voluntatem, ut eam imperet potentiaë executrici.

XXXIX. His generatim circa cognitionem practicam præjectis, Assertio nostra est Logicam esse purè, hoc est, adæquatè practicam. Quòd imprimis est contra Scotistas & Thomistas, qui volunt esse purè speculativam. Tum contra Suar. Rub. &c. qui docent partim esse practicam, partim speculativam, sed simpliciter & absolutè speculativam, practicam tantum secundum quid. Demum contra Hurt. Compt. &c. qui contendunt simpliciter practicam, speculativam verò tantum secundum quid. Assertio autem nostra defenditur ab Ovied. Arriag. de Rhod. &c. & à R.R. turmatim. Et ratio illius est, quòd omninò nulla sit Logica regula, quæ non sit circa objectum operabile

operabile, & modo quidem operabili; sic ut ex intrinseco tendendi modo in ejus effectiōnem feratur, possitque voluntas ex vi regulæ proponētis imperare Intellectui talis objecti executionem; est ergo Logica purè practica ex dictis. Ant. probandum est ex ipsis Logicæ regulis, quæ v. g. sunt: *Definitio debet constare genere & differentiâ: Syllogismus debet constare tribus solum terminis &c.* quæ præcipiunt implicitè & æquivalenter ita: *Si vis facere definitionem, accipe conceptum representantem genus & differentiam rei. Si vis facere Syllogismum &c.* quæ utique modus tendendi practicus est. Et ne putes, me sic pro libitu regulas Logicæ explicare, ut faciam practicas, cum alius pro libitu explicaret aliter, ut faceret speculativas; certè non caret hæc explicatio mea fundamento solido, si finis Logicæ, ut hic vel maximè oportet, respiciatur, qui est dirigere opus rationis, ne scilicet Intellectus inter verum ac falsum fluctuans, exponatur periculo continui erroris, sed certis regulis ac præceptis alligetur ad verum prosequendum. Et verò si potentiæ omnes cæteræ per artem aliquam diriguntur, ut in suis operationibus flectantur ad rectum; cur non similis ars tribuatur Intellectui? quæ non est alia quàm Logica. Audiamus, quis sit hæc de re sensus Angelici Doctoris? i. Poster. Lect. i sic loquitur: *Logica est habitus directivus ipsius actus Rationis, & ideo videtur esse ars arrium, quia in actum Rationis nos dirigit.* Ex quibus verbis, præterquàm quòd habeatur finis Logicæ, videmus etiam artibus annumerari, in

sensu nempè *Num. 33.* suprà relato. Jam verò
 1. 2. Q. 57. A. 2. & 3. idem S. Doctor artem ex
 Philosopho attribuit parti animæ practicæ.
 Hinc jam ruit, quod fortè etiamnum poterat à
 te replicari, posse scilicet à te similiter aliarum sci-
 entiarum, et si speculativarum, Conclusiones ex-
 plicari, ut & ipsæ fierent practicæ : Nam cum
 finis earum non sit dirigere objecta sua ad ip-
 sam effectiōnem, sicut est finis Logicæ, ut vidi-
 mus, paritas hac in parte nulla fieri potest.
 Itaque pergamus ad alia, quæ propius videntur
 obmoveri posse.

XL. *Dicunt* 1. Qui Logicam volunt adæ-
 quatè speculativam : Nulla cognitio est pra-
 ctica, quæ non habet pro objecto opus potentia
 alterius ab Intellectu, nam, ut ait Philosophus
 Intellectus extensione fit practicus, h. e. eundem
 extra se ; jam verò Logicam, etiam ex principiis
 nostris, non habet tale objectum : ergo. Sed
 N. Maj. cujus falsitas patet in dictamine pru-
 dentia, quod secundum communem est practi-
 cum, & tamen regulare potest actum alium
 Intellectus, V. G. Fidei Divinae : Unde si Philo-
 sophus dictum illud habet, quod Intellectus
 extensione fiat practicus, quod plures in ipso
 non invenire se testantur, intelligendum erit
 de extensione actus in actum, cum nullus actus
 sit practicus respectu sui ipsius, non de exten-
 sione potentia in aliam potentiam necessariam
 faciendam. *Si dicis*, aliud esse in dictamine pru-
 dentia, aliud in regulis Logicæ ; eò quod ope-
 rationes Intellectus tantum subjaceant præcep-
 tis Logicæ, ut certius ac facilius attingantur
 ver

veritatem, qui finis est speculationis; in quantum verò à prudentia regulantur, subjaceant *Regulis Morum*, ut honestè fiant, qui finis est cognitionis practicæ. *Dico*. Per hoc minimè exauriri vim paritatis: Sicut enim operationes Intellectûs subjacent prudentiæ & regulis *Morum*, ut fiant rectè moraliter, hoc est, honestè; ita subjacent regulis *Logicæ*, ut fiant rectè logicè, finis enim *Logicæ* est, operatio logicè recta, ad eamque obtinendam dirigere; atque ita rursus est paritas. *Si dicis iterum*, operationes Intellectûs, ut à *Logica* diriguntur, non esse praxin, sed meram speculationem, objectum autem cognitionis practicæ debere necessariò praxin esse. *Dico*, Operationes Intellectûs etiam sic, & praxin esse, & speculationem, neque enim hæc duo ita sibi opponuntur, ut diverso respectu cadere in idem nequeant: Nam sicut actus Fidei regulatus à dictamine prudentiæ, & praxis est respectu dictaminis, à quo dirigitur, & speculatio respectu objecti, quod credit, v.g. Dei Trini; ita prorsus operatio Intellectûs, respectu *Logicæ* eam dirigentis, est praxis, respectu objecti, quod representat v.g. animalis rationalis, speculatio. Cujus ratio est, quòd praxis sit operatio naturæ intellectualis à ratione dirigibilis, potest autem perinde dirigi à ratione actus aliquis ipsius Intellectûs, ac alterius potentia, ut in actu Fidei à prudentia regulato clarum est, esto tam hic, quam ille sit objecti sui nuda speculatio. Quòd si nec his acquiescis, sed Definitioni praxeos particulas quoque adjungis istas, quòd
 fit

fit operatio potentiz alterius ab Intellectu
&c. jam consequenter negare debes, actum
Fidei respectu dictaminis prudentiz habere
rationem praxeos, ipsumq; dictamen respectu
illius esse practicum, esto modum habeat ten-
dendi plane practicum; atque ita facis tandem
quastionem meram de nomine, in qua de pos-
sessione nobis, & paritate prudentiz, juxta
communem practicz, gratulamur.

XLI. *Dicunt* 2. qui Logicam contendunt
esse partialiter speculativam: Sunt plures in
Logica regulz, quz non sunt circa objectum
factibile: Ut sunt omnes, quz examinant opus
jam factum, an sit regulz conforme? Scio ad
hoc esse Responsum aliquorum, tale examen
reflexum super operatione facta adhuc esse
practicum, ex eo, quod fiat tali fine, ut si irrecta
deprehendatur, alia in locum ejus substituatur
recta. Sed hoc non placet, quia cognitio illa
reflexa non tendit ex natura sua & modo fe-
rendi intrinseco, sed a nobis tantum extrinsece
ordinatur ad aliam operationem substituen-
dam, casu quo hzc irrecta deprehenditur: co-
gnitio autem ut sit practica, primum hoc neces-
sario requirit ex *Num.* 38. Dico igitur, exa-
men tale reflexum non pertinere ad Logicam,
multoque minus ipsam esse Logicz regulam,
sed ad notitiam quandam experimentalem,
propter quam obtinendam instituitur a Logi-
co. Quod si aliz artes factivz ex fine suo intrin-
seco considerant opus jam factum, an sit artis
regulis conforme, aliud erit, cum ipse adhuc
possint in eodem hoc objecto suo, tanquam
perma-

petinent, & formam habente distinctam realiter materia, errores si qui sunt, corrigere, ut in Mutariâ, Sutoriâ, aliisque id genus *contur*; sed hoc locum non habet in objecto Logicæ, utpote quod semel irrectum, nullâ ejus directione fieri rectum potest.

XLII. *Dicunt tertio idem.* Quædam cognitiones directivæ proprietatum objecti Logicæ, V. G. quod Definitio debeat esse clarior definitio, converti cum illo &c. nequeunt esse practicæ, cum pro priori supponant objectum v. g. Definitionem jam factam vi hujus regulæ prioris, quod Definitio debeat constare Genere & Differentiâ; non est ergo Logica adæquate practica. Sed *in*. sub Distinct. Cognitiones illæ nequeunt esse practicæ, si antecedant definitionem faciendam, hoc est, si ipsæ actualiter sunt in Intellectu, antequam fiat Definitio, ipsæque tunc procedat ex earum directione. N. lic enim possunt unâ cum aliâ isthac regulâ, quod definitio debeat constare genere & differentiâ, talem definitionem dirigere. Si consequenter ad Definitionem jam factam Conc. sic enim non poterunt directionem suam tali definitioni impendere. Cum ergo primum illud sit juxta finem Logicæ, sunt hæ regulæ simpliciter practicæ, & secundum si fiat, erit omninò ipsis per accidens. Quod si dicas, præter hanc, quod Definitio constare debeat Genere & Differentiâ, cæteras istas regulas earumque directionem esse otiosam, hoc ipso enim, quod ista prima fervetur, jam totum habetur, quod reliquæ præcipiunt. Dico cæteras illas, etiam ut cum
istâ

istâ primâ conjunctas, minimè otiosas esse, sed ad hoc deservire, ut Definitio talis fiat clario- & convertibilis cum definito, non tantùm ex parte rei, sed etiam cum certitudine de hoc ex parte operantis, quod certè contemnendum non est. Imò si hæ regulæ non informarent actum Intellectum, unâ cum primâ, non eliceretur eadem Definitio, sed alia, eòquòd Intellectus ipsis etiam informatus, tendat cum specialis attentione & conatu exprimendi in eâ artificium, etiam ab ipsis præscriptum, quod non faceret, à primâ tantùm regulâ informatus. *Vide dicta Num. 15.*

XLIII. *Dicunt iidem quarto.* Quædam regulæ habent aliquid pro objecto, quod ipsæ nequeant dirigere, V. G. hæc: *Omnis Propositio constare debet Subjecto, Predicato, & Copulâ,* habet pro objecto Propositiones omnes, interque eas se ipsam, cum & ipsa sit aliqua Propositio, nequeat autem se ipsam dirigere. Sed & quid sit de hoc, an habeat pro objecto omnes omninò Propositiones in suppositione absolutâ, an verò tantùm in accommodâ, hoc est, omnes præter se ipsam; dico tamen, regulam istam esse simpliciter practicam, nec ideo dici posse, etiam secundùm quid speculativam, quòd habeat aliquid pro objecto partiali à se non dirigibile. Ratio est, quia simpliciter non sistit in nuda contemplatione sui objecti; sed tendit ad effectiorem alicujus in objecto contenti: Sistere enim Prædicatum, quasi negativum est, dicens negationem omnis tendentiæ ulterioris; e contra tendere ulterius, prædicatū est possi-

positivum, quod verificatur per tendentiam ulteriolem, vel ad unum. Hoc do, quòd ista cognitio possit præcisivè dici speculativa, quatenus comparatur præcisè ad objectum, quod non dirigit, hoc est, ad se ipsam, sed nequaquã realiter, etiam secundùm quid tantùm.

IV.

Docens, & Utens non distinguuntur realiter secundùm Rectum.

XLIV. **Q**Uæstio hæc tota est de nomine : Nam qui Docentem realiter ab Utente distinguunt, nomine Logicæ docentis intelligunt præceptum generale, V.G. Definitio debet constare genere & differentiâ ; nomine utentis autem præceptum aliquod parziale, V.G. quòd Definitio hominis debeat constare genere & differentiâ hominis ; qui duo actus utique ratione diversi, quod habent, objecti, sunt realiter distincti : Econtrà, qui non distinguunt realiter, nomine Logicæ docentis intelligunt præceptum generale V.G. Definitio debet constare genere & differentiâ ; & nomine Utentis intelligunt idem illud præceptum, sed actum dirigens partialem aliquam operationem V.G. definitionem hominis : Prorsus sicut eadem causa est, & quæ est potens causare multos effectus, & quæ actu effectum aliquem partialem causat. Et cum his tenet Assertio præsens ; non alia de causa, quàm quòd in quæstione de nomine ista sit communior acceptio. Sicut autem de Logica actuali, ita consequenter etiam de habituali hæc in parte differendum erit,

erit, cum actibus correspondeat habitus. Unde
 jam *Primo*, Sicut causa potens causare, & actu
 causans, non habent diversa constitutio
 secundum Rectum, etsi hæc illi superaddat
 actionem in obliquo: ita nec habent Logica
 docens & utens, etsi hæc illi superaddat actu
 lem directionem in obliquo. *Secundo*: Sicut
 denominatio actu causantis est causa accidenta-
 talis, etsi ut actu causans essentialiter importet
 actionem: Ita denominatio actu dirigentis est
 accidentalis Logica, etsi ut actu dirigens, hoc
 est, ut formaliter utens, essentialiter importet
 directionem actualem. *Tertio*: Sicut potest esse
 causa, absque eo quod actu causet, neque hæc
 separatio obliqui, scilicet actionis, importat
 distinctionem aliquam realem, causa potens
 causare, & actu causantis secundum Rectum
 ita potest esse Logica, absque eo, quod actu di-
 rigat, neque hæc separatio actualis directionis
 importat ullam distinctionem realem docentis
 ab utente, secundum Rectum. *Quarto*. Sicut
 causa potens causare est logicè prior se ipsa
 actu causante, quia rectè sequitur: *Actu causans*
ergo est potens causare, non contra: Sic Logica
 docens est logicè prior se ipsa, quatenus utens
 est, & rectè sequitur; *Actu dirigit: ergo est potens*
dirigere, non contra. *Quinto*: Sicut causa actu
 causans unum partialem effectum, pergit ma-
 nere potens causare reliquos, eosque transcen-
 dentaliter respicere velut à se producibiles: ita
 Logica utens & actu dirigens unam partialem
 operationem pergit manere potens dirigere
 reliquas, easque transcendentialem respicere
 velut

velut à se dirigibiles. Denique sicut causa, ut actu causans, reduplicativè sumpta, distinguitur realiter à causa ut præcisè potente causare, quia sic importat ipsam quoque actionem in recto: Ita Logica, ut utens, reduplicativè sumpta, distinguitur realiter à docente, ut præcisè docens est, quia sic ipsi Logica superaddit in recto actualem directionem alicujus partialis operationis.

V.

Non est simplex qualitas, sed per meram aggregationem una.

XLV. **A**SSERTIO de Logica actuali extralitem est, hæc enim aliud non est, quàm ipsæ regulæ, quæ cum ex objecto sint actus realiter distincti, nullaque physicâ unione coherentes, ex his collectis confurgens Logica totalis nequit aliter esse una, quàm unitate solius aggregationis, præsertim cum earum una possit inexistere Intellectui sine alterâ, una sciri, nesciri altera. De habituali verò contrarium cum Thomist. & Poliz. quidam docent, desumentes unitatè Scientiarum universim per ordinem ad eandem abstractionem à materia, de qua nos agemus infra Num. 201. Hic sufficiat contra eos dicere, quòd habitus imitentur naturam actuum, à quibus generantur, sunt enim facilitas quadam ex actibus sæpè repetitis acquisita: Sicut ergo Logica actualis, à qua generatur habitualis, non est una qualitas simplex, sed aggregatum ex multis actibus inter se distinctis & inunitis, quorum unus potest ab

Logica.

E

alio

alio realiter separari ; ita habitualis non erit unus simplex habitus, sed aggregatum ex multis habitibus, quorum unus sine alio haberi possit. Adhuc perdifficile est explicatu, si unus est & simplex *Habitus Logicae*, extendens se ad omnia ejus objecta, quod inclinet ad actus unius generis, ad eosque faciliat, non ita ad alteros quod amissam per non usum facilitate V. G. definiendi, retineri possit facilitas v.g. syllogizandi, prout fieri experientiam compertum est, quod utrumque in sententia nostra omnino planum est, ut patebit consideranti.

XLVI. Neque dicas I. Omnes actus *Logicae* sibi subordinantur, quia respiciunt omnes unum finem artificialis rectitudinis ; non est ergo necesse, ut facilitas ex his actibus profecta sit multiplex & distincta. Nam N.A. quae enim subordinatio *Logicae* definitivae ad divisivam ? Et quamvis omnes respiciant unum finem genericum rectitudinis, haec tamen rectitudo specificè alia est, quae intenditur à *Logica* definitiva, ab ea, quae intenditur ab argumentativa, divisiva &c. Necesse igitur est, ut propter hunc finem specie diversum, quem intendunt, actus sint specie diversi, & quod hinc sequitur, etiam *Habitus*, ab actibus istis generati. Si dicas, ita sine necessitate nimium multiplicari *Habitus*. Dico : Debere in tantum *Habitus* multiplicari in quantum sunt actus seu regulae specie distinctae, quibus *Habitus* naturales & acquisiti correspondent; idque non sine urgente causa, cum in singulis regulis practicandis sit specialis & nova difficultas, quae per *Habitus* vincendo

est, & *Habitus non possint non conformari actibus, à quibus generantur. Nec dicas 2. eadem potentia naturalis V. G. Intellectus idem producere potest actus specie diversissimos, & habitus idem infusus Fidei Divinæ extendit se ad omnia objecta revelata, quantumvis diversa; ergo similiter habitus unus Logicæ potest se ad omnia objecta Logicæ extendere. Nam N. C. Experientiâ enim constat, potentias esse in agendo universaliores, minusque limitatas, quam sunt habitus acquisiti, ut qui non facilitant, nisi ad actus similes iis, à quibus sunt generati, ut docet Experientia. Deinde *Habitus infusus Fidei Divinæ non acquiritur per frequentatos actus, sed simpliciter à Deo infunditur; non ergo sic limitatur ex parte principii, sicut habitus acquisitus. Accedit, quod actus Fidei Divinæ, circa quodcunque demum objectum materiale versetur, semper tamen habeat idem objectum formale, etiam specificum, authoritatem nempe revelantis Dei; ideoque inter actus Fidei Divinæ quoad hoc nulla est distinctio specifica, quæ sit considerationis Theologicæ. Contrarium contingit in actibus Logicæ, & consequenter in habitibus per ipsos generatis.**

VI.

Ad alias Scientias totales perfectè acquirendas moraliter tantum necessaria.

XLVII. **N**ON est hic *Quæstio de Logicæ habituali, potest enim quis, modo actualem intelligat, etsi de cætero magiam in eâ facilitatem non habeat, perfectè*

acquirere aliam Scientiam, etiam totalem & quamvis multò faciliùs perrecturus esset, si & illam haberet, adeòq; & ipsa dici possit necessaria secundùm quid, h. e. valde utilis, & ad melius esse. Tota ergo quaestio incumbit Logicae actuali, & quidem artificiali, an hac adeò scitu necessaria sit, ut sine eâ nullâ Scientia totalis alia perfectè possit obtineri? In quo pauculi quidam sunt, qui suam Logicam hyperbolicè extollentes, etiam metaphysicè eò necessariam esse contendunt, non cogitantes, posse quamvis Scientiam habitualement infundi nobis à Deo, quemadmodum naturales omnes infusæ sunt Adamo, & ingenium hominis ita divinitùs tractari, ut quamvis etiam actualem, nullâ artificiali Logica praeunte, perfectè comprehendat.

XLVIII. Alii cum Quiros saltem physicè necessariam volunt, quod ipsum quoque nimium videtur: Cùm enim possit quis, saltem physicè, acquirere perfectè unam aliquam Scientiam partialem, sicut ipsa primùm Logica fuit acquisita, quæ ex sui ipsius directione acquiri non potuit, quia non erat, antequam esset; cur non physicè loquendo, aliqua totalis, ut quæ non est aliud, quàm aggregatum ex multis partialibus? maximè, cùm acquisitione unius partialis non heberetur, sed magis illustraretur Intellectus, fiatque promptior ad alias. *Nec dicas*, etsi quis possit sine artificiali Logica habere evidentiam materiæ, nequit tamen formæ, sic ut sciat, Conclusionem suam rectè à talibus Præmissis deduci, quod requiritur ac
actum

actum Scientiæ perfectum. Nam præterquam quòd argumentum hoc claudicat in ipsa Logica, quam Inventores ejus ope solius Luminis naturalis & solertis experientiæ, legitime deduxerunt utique ex debitis Præmissis; potest quis sine artificiali Logica habere saltem exercitiè evidentiam formæ, sic ut intellectus vi talis cognitionis videat se non errare, sed omninò quietus sit, & imperturbabiliter adhaereat objecto, quod, ut rectè notant Spinul. & Compt. ad actum perfectæ Scientiæ satis est. Imò potest Intellectus perspicax etiam signatè cognoscere evidentiam formæ, & reflexè scire, se scire, talémque conclusionem rectè è talibus deducere præmissis, saltem physicè loquendo, idque sine artificiali Logica, quia potest penetrare naturaliter totum artificium syllogisticum, uti primi Logicæ Inventores penetrarunt. Et verò, si potest homo etiam non magnoperè ingeniosus talem actum elicere: Qui debuit 10. & solvit 5. adhuc debet 5: ego debui tibi 10, & solvi 5; ergo adhuc debeo 5, & ita quidem, ut non modo simpliciter sciat, se debere 5, sed etiam se rectè concludere, quòd idèq; debeat 5, quia debuit decem, & solvit quinque; cur Intellectus valdè perspicax idem nequeat in aliâ materiâ minùs clarâ?

XLIX. Rectè igitur statuit Assertio nostra, Logicam artificialem esse tantùm moraliter ad alias Scientias totales perfectè acquirendas necessariam, eò quòd, licet absolutè possint, etiam per vires naturæ, agrè tamen, nec nisi raro, & permagnâ cum difficultate, sine eâ

penitus acquirantur, ut experientia constat. Ratio à priori petenda est ex debilitate Intellectus nostri, quæ tanta est, ut nisi certis regulis alligetur, propè semper inter verum & falsum fluctuet, aut certè tantùm opinetur. Undè & quantò fuerit hæc Intellectus imbecillitas major in uno, quàm alio homine, tantò magis erit ei Logica necessaria, nemo tamen facile tamen erit perspicax, ut sine ingenti labore absque Logica perfectè assequatur. Et hinc rectè monuit Philosophus 3. Metaph. ante alias Scientias addiscendam esse Logicam, velut Instrumentum cæterarum. Quare si alibi Mathesin priùs addisci voluit, intelligi debet secundùm faciliora quædam, & apta magis ingeniis tenerioribus.

L. Sed & contra moralem hanc necessitatem insurges, & *Dices* 1. Potest quis moraliter sine Logica, unam aliquam Scientiam partialem acquirere: ergo & totalem, ut quæ nihil est præter multas parciales, præsertim, cùm Intellectus unâ acquisitâ non hebetetur, sed magis roboretur ad aliam. Verùm &. Potest quis illud, etiam moraliter, si talis Scientia partialis non est valdè difficilis, & in materia non admodum obscura, secus si contrarium accidit. Cùm ergo Scientiæ totales consurgant ex multis partialibus, quarum aliqua multò difficiles sunt, has non nisi valde difficulter si Logica, ipsamq; totalem ex his consurgentem non nisi difficillimè acquireret, quod est Logicam ad eas esse moraliter necessariam. Quòd argues dicendo, quòd tota major illa difficul

oriatur ex obscuritate materiæ, cum modus procedendi scientificus sit idem in omnibus; illam autem nequeat tollere Logica, quia non curans de materia : Dico : Oriri potissimum ex obscuritate materiæ, quam licet Logica non curet, si intra finem suum intrinsecum relinquatur ; si tamen à Logico ad talem materiam applicetur, multum conducit, ut Intellectus certis ipsius regulis alligatus facilius procedat, minusque sit obnoxius errandi periculo. Et hinc est, quòd Logica passim à Philosopho vocetur Instrumentum Scientiarum, si non ex fine suo intrinseco, saltem extrinseco ipsius Logici eam ad hoc usurpantis. *Dices 2.* Si Logica est necessaria moraliter ad alias Scientias, erit ex paritate rationis moraliter necessaria etiam ad seipsam, quod tamen esse non potest. *Sed 2.* Una Logica partialis V.G. apprehensiva erit moraliter necessaria ad aliam partialem, V.G. ad judicativam, & hæc iterum ad discursivam; nisi enim præviè sciantur ea, quæ ad rectam Apprehensionem pertinent, difficulter addiscentur ea, quæ spectant ad Judicium, & sic procedendo ad Discursum. Toti autem Logicæ ea solùm prærequiritur & præquiri potest, quam naturalem diximus, ne si secus diceretur, esset Logica artificialis, antequam esset. neq; hinc inferas, similiter alias Scientias posse secundum partes sui diversas juvari à seipsis, adeoque non indigere Logicâ : Cùm enim Logica illud habeat speciale, quòd non solum Scientia sit, sed & modus sciendi, tradens regulas sciendi universales, aliis quoque Scientiis

ASSERTIO II.

idoneas, aliter de Logica ac Scientiis istis discurrendum est. Illud ad extremum potes quaerere, quid ergo dicendum de iis, qui hodie Juris Prudentiam aut Medicinam profitentur, esto non sint Logici? Sed ad hoc etiam R. quidem Logici non sunt, neque fundatos Juristas, neque Medicos, hoc est, scientes, homines solo nomine tales, qui Juris aliqua ut vocant, Schlendriam, & artis medicae (si men artis) nudam habeant experientiam.

VII.

Ad quarum actus directivè tantum concurrunt.

LI. **R**atio circa Logicam actualem facta est, hanc enim nequidem ad actionem materia propria concurrunt efficienter physice, sed dirigendo tantum & illuminando Intellectum: plus ergo non præstabit actibus aliarum Scientiarum, præsertim, cum dirigendo tantum possit eas, quantum satis est, adjuvare ut faciunt omnes alie artes practicae, quae non causant physice opus artis, sed tantum directivè; insuperque ex communiori sensu Philosophorum una cognitio physice non efficiat aliam, sed dirigendo tantum adjuvet Intellectum ad illius effectum. Circa Logicam habituales est paulò plus, quanquam non admodum difficile: Nam universim habitus naturales acquisiti non concurrunt effectivè physice ad actus alios, quam similes iis, à quibus sunt generati, utpotè ad quos denuò inclinant factantque solos. Cum ergo Logica habituales

non sit genita ab actibus, à se in aliena materia directus (facilitas enim ista, quæ ex actibus illis generatur, non est ipsa habitualis Logica, sed habens actuum à Logica directorum:) sed ab ipsa Logica actuali sæpiùs repetita, ad hanc ^{deus} inclinanda concurret physicè, non ad istos in aliena materia directos, sed nec in propria. Adde, quòd sicut artes cæteræ habituales sufficienter juvant, influendo tantùm in actuales, à quibus deinde sola præstetur directio operis faciendi; ita quoque sit de Logica habituali differendum.

LII. Malè itaque assumitur 1. Quòd eum actus alterius Scientiæ; qualis est hic physicus; Omne corpus mixtum est corruptibile; homo est corpus mixtum; ergo corruptibilis: sit logicè rectus, debeat suam hanc rectitudinem efficienter physicè accipere à Logica, eò quòd habere eam nequeat à Physica. Nam sicut actus istorum Esse suum habet efficienter physicè ab Intellectu, ita & rectitudinem logicam sibi identificatam, Logica tamen actuali dirigente, Physica verò hoc suum Objectum nudè speculari. Malè assumitur 2. Quòd ubi nova est formalitas in actu, debeat illi respondere novum principium physicè effectivum ex parte causæ: Cum ergo in actu isto sit rectitudo logica, debeat illa sic à Logica procedere. Nam ad hoc satis est, quòd illi ex parte causæ correspondeat novum principium directivum, ut constat in objectis artium aliarum, quarum est tantùm regulare, non etiam physicè efficere. Sed & hoc ipsum necesse non est univèrsim, quòd

quod enim novum est principium ex parte causæ, respondentis formalitatibus intellectiois, sive effectivum, sive tantum directivum; V. G. Spiritualitati, Vitalitati, Bonitati, Veritati, Unitati illius? An non harum omnium eadem anima est principium? Male assumitur tertio, quòd cum, Logicà dirigente aliarum Scientiarum actus, ipsius etiam Logicæ major facilitas acquiratur, debuerit illa ad istos etiam physicè effectivè concurrere. Nam hoc inde oritur, quòd, quoties actum in aliena materia dirigit, ipsa quoque frequentetur, atque ita sæpius inexistat Intellectui, unde ejus habitum accrescere majorémque acquiri facilitatem ipsius, necesse est. Quid autem re ipsà sit habitus iste & facilitas, & an à speciebus rememorativis distinguatur, non est hujus loci examinare, cum spectet ad Animasticam.

LIII. Atque ex his jam summarie Logicam rectè definiēs : quòd sit *Ars, vel Scientia, directivum Mentis Operationum ad artificiosam earum rectitudinem.* Quòd si insuper descriptionem velis, dic esse Scientiam, vel Artem aliquam totalem, ex multis partialibus confurgentem, quæ dirigat operationes Intellectus rectas; sitq; moraliter ad alias Scientias totales perfectè acquirendas necessaria, atque ad actus earum directivè concurrent.

ASSERTIO III.

LOGICALIS.

Distinctio realis non est modus superadditus, neque mera negatio Identitatis, sed relatio alienitatis extremorum ad se. Distinctio rationis est duplex conceptus, vel unus duobus equivalens, eandem rem diversimodè representans. Præscindit non objectivè, sed tantùm formaliter. Inter utramq̃ media, aut virtualis intrinseca, saltem in creatis, non datur.

I.

Distinctio realis non est modus superadditus, neque mera negatio Identitatis, sed relatio alienitatis Extremorum ad se.

LIV.

Ratio primæ partis negantis est contra Thomistas, quòd sublato omni tali modo, & habità præcisè entitate v.g. Petri & Pauli, hi in omni rigore sint distincti: per hoc enim, quòd modus ille tollatur, saltem per intellectum, si nequit realiter, Petrus non fit idem cum Paulo, sed ab eo manet distinctus, idque non tantùm fundamentaliter, sed etiam formaliter: Sicut Deus formalissimè distinctus est realiter à quavis Creatura, & tres Divinæ Personalitates inter se, sine ullo tali modo: Unde si potest in Divinis sine illo haberi realis Distinctio, eaque formaliter, cur non similiter in creatis? Præsertim cum res etiam
creata

creata non sint secundum se indifferentes ad hoc, ut vel distincta sint, vel indistincta, ad quam tamen indifferentiam tollendam dantur modi, & quidem unice.

LV. Ratio secundæ partis negantis contra Suar. est, quod ratio eadem sit constitutiva rei, quæ est ejusdem distinctiva ab aliis : sed res positivæ non constituuntur in Esse suo, per negationem identitatis cum aliis, sed per suametipsam positivam prædicata ; ergo non per illam, sed per hæc eadem ab aliis distinguuntur. Ad hæc illa negatio identitatis fundari debet in aliquo positivo prædicato priore, debet enim esse fundamentum, cur merito negetur identitas Petri cum Paulo ; hoc autem prædicatum positivum prius erit illud ipsum, per quod à Paulo Petrus distinguitur. Unde passim Philosophi distinctionem rei à quovis alio, numerant inter proprietates mediatas Entis, quatenus ab Ente immediate profluit unitas, & ex unitate distinctio ; proprietates autem Entis, qui realiter convertuntur cum Ente, utique non sunt quid merè negativum, uti nec ipsum Ens nisi secundum eos, qui negationes Entibus positivis identificant. Hoc verum est, quod, cum quæcunque distincta sunt, idem non sint, & contra, saltem in eâ ratione, in quâ distincta sunt, negatio ista identitatis sit quid consequens ad distinctionem, & ut dici solet, ipsa distinctio consecutive ; sed non formaliter, hæc enim bona causalis est ; ideo Petrus habet negationem identitatis cum Paulo, quia distinctus, hoc est, alius est à Paulo.

LVI. Ex his jam sequitur ratio affirmativa partitertiz. Nam imprimis quòd distinctio realis rerum positivarum (de quibus est questio) *sunt* ipsæ earum positivæ entitates, evincitur ex jam allatis. Quòd verò etiam distinctio illa non sit quid omninò absolutum, sed quædam relatio, ex eo fit manifestum, quòd omne distinctum sit ab aliquo distinctum, adeoque respiciat & referat unum ad aliud velut terminum, à quo unum illud, velut fundamentum, distinctum esse dicitur; debet ergo forma illa, quæ est ipsa distinctio, esse forma relativa, h. e. relatio, quæ hîc alia esse nequit, nisi relatio aietatis, per quam scil. unum est aliud ab altero. Porro quamvis ista relatio, physicè loquendo, tota detur à parte rei, & independenter à conceptu nostro, quia extremis ipsis realiter identificata, quæ dantur nemine cogitante: Si tamen loquimur, prout nos concipimus hanc distinctionem per modum formæ supervenientis extremis, quæ distincta dicuntur, conceptus misceri necesse est, & statui tria velut signa rationis: In quorum primo concipiamus præcisè Entitatem Petri & Entitatem Pauli absolute & secundùm se, h. e. præcisè esse, cùm esse sit aliquo modo prius ad distingui: In secundo eandem entitatem Petri comparatè ad entitatem Pauli, velut aliam ab illa: In tertio negationem identitatis, quæ ad distinctionem, in eò signo rationis positam, nostro concipiendi modo consequatur. Unde vides pro primo isto signo rationis, antequam concipiatur formaliter relatio aietatis, sive distinctio advenire,

nire, Petrum distingui à Paulo tantum fundamentaliter, ipsam verò formam distinctionis statui in signo secundo, quasi superveniat Entitatibus Petri ac Pauli secundum se, adeoque pro priori ad hoc signum secundum, Petrum nec esse formaliter distinctum à Paulo, nec non esse formaliter distinctum, sed ab utroque præscindi. Vides iterum, pro priori ad signum tertium, in quo ponitur negatio identitatis, Petrum nec esse Paulum, nec non esse Paulum formaliter, sed pro isto priori ab utroque præscindi, quod utique fieri potest, cum ex duobus realiter contradictoriis, alterutrum semper concipere necesse non sit.

LVII. *Dices* 1. Per hoc formaliter Petrus est distinctus à Paulo, per quod tollitur formaliter identitas Petri cum Paulo : hæc formalissimè tollitur per negationem identitatis, tanquam per aliquid immediatè & contradictoriè oppositum identitati ; ergo per eandem formaliter est distinctus à Paulo. *Et. neg. Maj.* Neque enim identitas & distinctio opponuntur contradictoriè, sed quasi contrariè, cum utrumque sit suo modo quid positivum ; etsi fortè identitas ista, cum sit reverà impossibilis, identificet sibi negationem sui, quod spectat ad materia de negationibus necessariis rerum impossibilium ; à qua qui vult hic tantisper præscindere. *dist. Maj.* per hoc formaliter Petrus est distinctus à Paulo, per quod formaliter, hoc est, primò & positivè tollitur ista identitas *Conc.* Et quod formaliter, hoc est, negativè & secundariò tollitur ista identitas *Neg.* Jam vero Petrus primò & positivè per suam entitatem

excludit identitatem sui cum Paulo, quia per entitatem suam primò & positivè est id, quod est, & alius ab omnino, quod non est ipse. *Sed dico*: Tamen per Negationem illam Identitatis Petrus maximè distat à Paulo, adeoque pereandem quoque distinctus est. *Dico*: quòd per eam maximè distet negativè & secundariò, non primò & positivè, neque enim per illam Negationem primò in Esse suo positivo constituitur, adeoque nec distinguitur ab alio, sed per suammet positivam entitatem.

LVIII. Dices 2. & Quæres: Ista relatio alienitatis, quæ dicitur esse distinctio, vel prædicamentalis est, vel transcendentalis? *R.* Esse Quæstionem ferè de nomine: Si enim Petrus per suam solius Entitatem dicitur esse distinctus ab omni alio, etiam non existente, sed purè tantùm possibili, ut docent aliqui, relatio transcendentalis erit, quia soli fundamento, scilicet Petro, adæquatè intrinseca & essentialis, alterius verò Extremi entitatem respiciens tantùm extrinsecè ut terminum. Econtrà si Petrus non per suam solius Entitatem, sed etiam per Entitatem alterius Extremi dicitur esse distinctus ab alio, & quidem actualiter existente tantùm, sic ut distinctio formalis importet necessariò utriusque extremi existentiam, à re autem purè possibili sit distinctio solum fundamentalis, quod malunt alii, relatio prædicamentalis erit, quia partim accidentalis & extrinseca fundamento. Utrumque autem cum sine magno incommodo dici possit, penes te manebit optio: modò si viam adam teneas, conse-

consequenter dicas, ad distinctionem etiam fundamentalem tantum, quâ V. G. Petrus jam distinguitur ab Anti-Christo, consequi necessario formalem quoque negationem Identitatis, cum ea, quæ etiam possibiliter distincta sunt, actu non sint, nec esse possint idem. Nec dicas, illa ratio distinctionis, qualiscunque sit, utique realis est, omnis autem ratio realis supponit extrema realiter distincta, non distinguit realiter; quomodo igitur hæc ratio dicitur esse ipsa forma distinguens? Nam omnis ratio realis, quæ non est ipsa aietas, supponit extrema realiter distincta, non distinguit ipsa formaliter, quia non facit aliud formaliter; ipsa verò aietas, cum faciat formaliter aliud, nequit supponere distincta, sed ipsa distinguit formaliter, sive est ipsa forma distinguens.

II.

Distinctio Rationis est duplex, conceptus vel unus duobus æquivalens, eandem rem diversimodè representans.

LIX. **I**N hac materia unum illud constat inter præ oculis habendum est, quod aliud sit distinctum, aliud distinctio, sicut aliud est concretum, aliud forma concreti. Esse per rationem distinctum, importat duo, rem quæ distinguitur in recto, & formam, quæ distinguitur in obliquo, & hæc forma, alio nomine vocatur distinctio. Hanc dicimus esse conceptum duplicem, vel unum duobus æquivalentem, qualis est actus Judicii, qui alio modo subje

Subiectum, alio prædicatum, et si realiter idem cum subiecto, repræsentat, prout contingit in hac Propositione, *Homo est animal rationale, & univèrsim* in omni affirmativa vera, quæ quidem non sit merè identica. Ratio autem Assertionis est, quòd esse per rationem distinctum, *sic idem* aliter & aliter cognitum; Sicut ergo cognitio est forma dans denominationem cogniti simpliciter; sic alia & alia cognitio ejusdem rei, est forma dans eidem rei denominationem aliter & aliter cogniti, hoc est, per rationem distincti; vel quod idem est, forma per rationem distinguens, & distinctio formaliter accepta. Planè sicut alia & alia pictura ejusdem Cæsaris, v.g. semel in habitu imperiali, & iterum in Cataphraeto, est id, à quo idem Cæsar denominatur aliter & aliter repræsentatus. Ultimata autem hujus rei probatio petenda est ex dicendis infra de Relatione prædicamentali, qualis est Distinctio Rationis, utpotè accidentalis & merè extrinseca rei distinctæ, sic, ut nec inadæquatè quidem identificetur ipsi fundamento.

LX. *Nec dicas* 1. Duo conceptus eandem rem diversimodè repræsentantes sunt Distinctio realis, quomodo sunt igitur Distinctio Rationis? *Nam* sunt Distinctio realis sui, eò quòd inter se distinguantur realiter, sed distinctio rationis objecti, quod idem realiter, diversimodè repræsentando, distinguant per rationem. *Sic dico*: Distinctionem Rationis fieri per conceptus istos, & consequenter ipsos non esse distinctionem rationis. *Disco*: Fieri per conceptus

Logica.

F

istos

istos formaliter & intransitivè, non efficienter & transitivè, sicut unitas rationis fit per conceptum representantem multa ad modum unius formaliter & intransitivè, ideòque sic conceptus iste est ipsa unitas, ita conceptus illi sunt ipsa distinctio. *Si dicis iterum*: Distinctio realis est alietas realis, involvens ipsa extrema, quæ sunt distincta realiter; ergo distinctio rationis est alietas rationis, involvens ipsa extrema, quæ sunt per rationem distincta. *Dis* Non sequi. Verum quidem est, quòd, si distinctio realis est alietas realis duorum realiter distinctorum, ita distinctio rationis sit alietas rationis ejusdem rei à seipsa per Rationem distinctæ: at non, sicut illa realis alietas est realiter eadem cum uno vel duobus extremis juxta *Num. 58.* ita alietas ista rationis eadem cum re per rationem distinctâ, quia purè extrinseco, scilicet ab Intellectu nostro, adnit rei, secus ac illa realis. *Nec dicas 2.* Si simplex iste conceptus est forma distinguens, hæc ipsa distinctio, quænam ergo sunt extrema, quæ per istam formam denominantur distincta? Non ipsa res secundum se accepta, hæc enim duplex non est, sed unica, ad omne distinctum autem ad minus duo requiruntur. Neque prout substat conceptibus, sic enim impossibile est ipsos conceptus, qui extrema non sunt, sed forma distinguens: *Nam* hoc argumentum laborat in supposito, quasi extrema, quæ denominantur distincta, darentur ante formam distinguentem, ipsis supervenientem, essentque duo: Cùm tamen tunc sit una realiter
simp

simplex res, etsi virtute multiplex, ideóque præbens Intellectui fundamentum, ut à seipsa per rationem distinguatur. Dicendum ergo, quòd, cum per dictos conceptus eadem res diversimodè representatur, ipsa exercitè subeat rationem extremorum, fiatque formaliter *duo*, non in- sed extrinsecè, quatenus scil. modò concipitur ita, mox aliter, atque ita fit ejusdem rei quædam à seipsa diversitas in Intellectu.

III.

Præscindit non objective, sed tantùm formaliter.

LXI. PRÆSCINDERE objective, saltem secundùm veteres hujus præcisionis Patronos (hodie enim vix amplius, quàm solo nomine à formaliter præscindentibus dissidere videntur) est cognoscere unam in objecto formalitatem, & nullatenus, nequidem confuse & materialiter, cognoscere alteram, cum priore tamen realiter identificatam : v.g. cognoscere animal in homine, & nullatenus cognoscere rationale, quod tamen realiter idem est cum animali. Econtrà præscindere formaliter, est cognoscere clarè & distinctè unam in objecto formalitatem, & simul quidem cognoscere aliam cum priore realiter identificatam, sed confuse & indistinctè, sic ut semper ex parte objecti attingatur totum, sed non ea claritate, ut omnia ejus prædicata formaliter & ex parte cognitionis exprimantur, quia scilicet non cognoscitur in ordine ad omnia connotata, quæ talibus prædicatis correspondent, & in

ordine, ad quæ cognitione clariori attingi possent. Quare secundum Præscindentes objectivè, Intellectus subtilitate suâ vim habet objectum ipsum intentionaliter dividendi, sic, ut cognoscendo unum, & nullatenus alterum, ipsum objectum quasi fecet in duo; quam vim Intellectui negant Præscindentes formaliter, contendentes, omnem divisionem, inadæquationem, separationem, & si quid amplius est Vocum hujusmodi, tenere se ex parte ipsius cognitionis, ita ut totum semper objectum attingatur, etsi non totâ, quâ potest, claritate. Et cum his facit præsens Assertio, cujus ratio fundamentalis est, quod ex illa præcisione objectivâ sequuntur contradictoria, idem scilicet ex parte objecti cognosci simul, & non cognosci, V. G. cognosci animal, & non cognosci rationale, quod idem est cum animali. Deinde quidquid dicunt Adversarii de præcisione objectiva intellectus, pariformiter urget in præcisione visionis ocularis, quâ V. G. videtur in objecto ratio coloris & non videtur ratio entis identificata cum colore. Negant autem communiter oculo & ipsi vim adeo subtilem, ut objectum dividat in duas, sicut e contra eam Intellectui attribuunt. Videri fusè de hoc argumento potest *Haun. de anim. Cap. 4. a. 5.* Demum perdifficile est, explicare quid sit animal objectivè præcisum, h. e. intentionaliter separatum à rationali? Vel enim est aliquid plus tenens se ex parte objecti præ animal & rationale, vel non? Si est: quid quæso est illud, & unde? Certè Intellectus nostri cognoscendo objectum, nihil in eo novum f

cit. *Sinon est* : ergo sicut ex parte objecti animal & rationale in eodem homine prorsus idem sunt, ita per cognitionem nulla fit inter ea ex parte objecti divisio, vel dicant, quid sit illud divisum ex parte objecti.

LXII. *Dicunt* 1. Quando fit præcisio objectiva, cognoscitur res secundum unum Esse intentionale V. G. animalis, & non secundum alterum Esse intentionale v. g. rationalis, atq; ita impeditur contradictio, quia cognoscitur & non cognoscitur idem, sed non secundum idem. Verum ita saltem cognoscitur objectum totum secundum Esse reale, quod volunt præscindentes formaliter, etsi non omnimodâ claritate. Deinde quid est illud Esse intentionale? Nunquid res substans intentioni sive cognitioni? Dum ergo dicitur cognosci res secundum unum Esse intentionale, & non secundum alterum, vel intelligunt, non cognosci secundum id, quod alterum esse intentionale dicit in recto? Et falsum dicunt, quia hoc omninò idem est cum illo, quod unum illud esse intentionale dicit in recto. Vel intelligunt non cognosci secundum id, quod alterum Esse intentionale etiam dicit in obliquo? Et jam verum quidem dicunt, quia cognitio illa, quâ cognoscitur V. G. animal, non attingitur reflexè ab alia cognitione, quâ cognoscitur rationale: sed hoc omninò impertinens est ad rem præsentem. In idem ferè recidunt respons. omnes cæteræ, quas ad rationem fundamentalem adferunt, nisi hoc tandem dicant, ex parte objecti per eam cognitionem, quâ cognoscitur

ASSERTIO III.

NICALIS.

animal in homine, cognosci quoque rationale
 sed materialiter & identice, quia scilicet
 materialiter idem est cum animali, atque
 solo nomine diffideant à formaliter Præsci
 dentibus. Quòd verò replicant, ex præ
 sione formali similiter sequi contradictor
 V. G. cognosci in homine animal
 rè, & non cognosci clarè rationale, que
 omninò idem est cum animali: Verum
 est, cum enim formaliter animal præsci
 tur à rationali; eadem claritate, quâ anim
 cognoscitur etiam rationale, quia cognoscit
 totus homo, sed in ordine ad sensationes ta
 tum; quæ formaliter & distinctè per act
 istum exprimuntur. Quòd autem possit hoc
 cognosci clarè in ordine ad solas Sensation
 & non simul ad ratiocinationes, ex eo ma
 festum est, quòd operationes istæ sint dist
 ctæ realiter, quarum una attingi potest, alt
 nullatenus attactâ. Similiter eâdem con
 sione, quâ tunc cognoscitur rationale, eti
 cognoscitur animal, quia ratiocinationes,
 ordine ad quas oporteret hominem cognos
 re, ut rationale cognosceretur, claritate
 propriâ, per actum istum formaliter & dist
 ctè non exprimuntur.

LXIII. *Dicunt* 2. Si quis videt à longè
 quid se movere, ita tamen obscure, ut quam
 discernat esse animal, nequeat tamen disceri
 re, an homo sit, an equus, sed re ipsâ sit hom
 ralis cognoscit animal, & nullatenus ratioc
 le, quamvis idem cum isto animali; ergo præ
 sciudat objective animal à rationali.

Sed
 Quo

Quòd talis etiam cognoscat rationale, & quidem eà claritate, quâ cognoscit animal, quia cognoscit hoc, quod videt : Sed hoc quod videt est animal rationale, ut ponitur : Ergo. Quòd autem dicere non possit, hoc est rationale, sicut potest dicere, hoc est animal, ex eo est, quòd objectum totum cognoscat in ordine ad sensationes tantùm, quæ sunt actiones propriæ animali, & non etiam in ordine ad rationationes, utpotè quarum nulla, ut ponitur, habet indicia, etsi habeat indicia rationalis materialiter accepti, eò quòd habeat indicia ab animali quod videt, hoc autem ponitur esse rationale. Quòd si jam mutare casum lubeat, & ponere, quòd Deus deinde substituatur equum in locum hominis, eumque planè similiter se moventem, jamque sciscitari, quid videns cognosceret? Certè non jam rationale, quia hoc quod videt, non est animal rationale, sed hinnibile. Neque hinnibile, quia maneret eadem omnino cognitio, quæ fuerat antè : cognitio autem manens eadem mutare nequit objectum suum.

Respond. Quòd eo casu ex parte objecti cognosceret hinnibile, non rationale, ex ratione data. Et quidem per eandem fortè cognitionem, quæ ratione novi istius objecti præcisè variari non posset, cum sit objectum denominativè tantùm, non formaliter cognitum, quod potest cognitio manens eadem immutare. De cætero maneret idem utrobique objectum formaliter cognitum, scilicet aliquid, quod videtur, cognitum in ordine ad

solas sensationes. Unde jam *vides*, malè requiri à nobis, tanquam explicatu difficilem, distinctionem inter objectum formaliter & denominativè cognitum, cùm facile dicamus: illud esse cognitum formaliter, quòd actus clarè ac distinctè exprimit; quod verò tantùm concomitanter, connexivè, aut identicè attingit, esse cognitum denominativè. Dixi: *Forse per eandem cognitionem*: Nam si species phantastica vel ipsum Phantasma cum Intellectu efficienter influat in cognitionem, jam substituto in locum hominis equo, connaturaliter loquendo, erit alia cognitio, non quidem ratione objecti, sed alterius principii influentis, à quo essentialiter cognitio, sicut omnis actio, dependet. Cùm enim motus equi sit utique realiter alius à motu hominis, adeoque hic efficiat aliam in oculo videntis speciem visivalem: (naturaliter enim loquendo, alia causa producit effectum alium:) & hæc species aliam visionem, visio rursus aliam sui speciem mittat ad sensum communem, cum quâ is aliud phantasma fabricat, & hoc tandem aliam relinquit sui speciem phantasticam: jam si vel hoc phantasma, vel species phantastica cum Intellectu concurrat effectivè ad cognitionem, utique ex ratione datâ erit alia cognitio.

LXIV. *Dicunt 3. quarendo*: Quomodo igitur fiat præcisio formalis in iis Prædicatis, quibus nulla competit diversa operatio, in ordine ad quam diversimodè cognosci possint? V. G. quomodo in eadem albedine prædicatû coloris præscindatur formaliter à prædicato albedinis?

ditis? Sed R. Fieri hoc modo: Cognoscitur primò albedo, non omnimodâ claritate, sed ut est color, discernendo solùm ab omni eo, quod color non est; ubi ex parte objecti cognoscitur tota albedo, sed non ita clarè, ut albedineitas etiam formaliter ex parte actûs exprimitur, ideoque formaliter ab ea præscinditur. Deinde cognoscitur eadem albedo clariùs, discernendo eam non modò ab omni eo, quod color non est, sed etiam quod albedo non est, & sic albedineitas etiam formaliter ex parte ipsius actûs exprimitur, præscinditurque solùm à prædicatis istis, quæ formaliter in ista albedineitate non imbibuntur, inter quæ est ipsa ratio coloris. De cætero quòd præcisionem formalem hætenus constanter per ordinem ad diversas operationes explicaverimus, ex eo erat, quòd loqueremur de prædicatis habentibus se per modum principii, causæ, vel potentia, cujus sunt propria id genus operationes, in ordine ad quas ferè concipiuntur à nobis.

LXV. *Dicunt 4.* Nisi dentur præcisiones objectivæ, non dabitur compositio metaphysica, quia non dabitur pars & pars metaphysica, quæ ad ejusmodi compositionem requiruntur. Sed R. N. seq. Pars metaphysica non dicitur ex eo, quòd detur prædicatum unum objectivè præcisum ab alio, sed quòd totum objectum cognoscatur modò sic, modò aliter; vel (ut ajunt) inadæquatè, non inadæquatione objecti, sed actûs, eò quòd omnia objecti prædicata talis actus distinctè satis & formaliter

non exprimat, esto semper totum materialiter & ex parte objecti attingat. Quod si jam conceptus superveniat tertius, qui formaliter & distinctè hoc totum exprimat, quod alii duo priores non nisi divisim, hic metaphysicè dicitur componere, quia conjungens formaliter, quod priores duo velut sejunxerant, non objectivè, sed formaliter. Illud posses ad extremum hic arguere: Qui negat præcisionem objectivam, admittit illam: Qui enim negat animal objectivè præcisum à rationali, vel intelligit, quid neget, vel non intelligit? Si non intelligit, malè negat; Si intelligit, jam exercitè facit, quod signatè fieri posse negat: Qui signatè negat, impossibile posse cognosci, exercitè dicit, illud esse sicut cognoscibile. *Sed ad hoc etiam responsio*: Talem cognoscere signatè animal objectivè præcisum à rationali, velut Objectum aliquod impossibile, re ipsâ tamen tantùm præscindere formaliter. Imò & illi ipsi, qui præcisiones objectivas tuentur, dicuntque sæpiùs à se fieri, exercitè & re ipsâ tantùm præscindunt formaliter. Unde jam, quod adfertur simile ab impossibili, non est ad rem, qui enim negat, impossibile cognosci posse, hoc ipso cognoscit; non sic qui negat præcisionem objectivam, hoc ipso eam facit, cum facere non possit impossibile, possit cognoscere.

* * *

* *

IV.

IV,

Inter utramque media, aut virtualis intrinseca, saltem in creatis, non datur.

LXVI. **P**Rima pars Assertionis est contra Scotist. qui præter distinctionem realem & rationis admittunt tertiam, inter utramque mediam, sic dictam, quòd minorem volunt distinctione strictè reali, cum non detur inter res strictè realiter distinctas, sed inter plures ejusdem rei formalitates aut conceptibilitates. unde & formalem vocant; majorem verò distinctione rationis, cum sit ante omnem Intellectus operationem, unde & distinctionem ex natura rei appellant. Hæc distinctio primùm inventa esse dicitur ad explicandum inscrutabile Mysterium Trinitatis à Scoto, quamvis alii ab hac Sententia Scotum vindicent. Deinde à succedentibus Scotistis ad res etiam creatas translata est, qui passim hodie eam distinguunt Genus à Differentiâ cujusque rei, essentiam à proprietatibus metaphysicis, omnesque gradus metaphysicos in eodem Individuo. Sed quidquid sit in Divinis, quæ Theologis relinquo, sustineri nequit talis distinctio in creatis: Nam quidquid datur à parte rei, ante omnem Intellectus nostri operationem, est strictè reale, quia strictè res, nec assignari potest, in quo à ratione propriâ strictæque Entis deficiat. Quod enim quidam dicunt cum Poncio, ad realitates strictè dictas requiri separabilitatem, falsum esse,

esse, patet in Personis Divinis, quæ sunt quid strictè reale, & realissimè distinguuntur, neque tamen separari possunt. Similiter falsum est, quod alii cum Barone dicunt, Ens strictè reale propriam habere diversamq; ab aliis existentiam; Nam & illam, saltem absolutam, non habent diversam Personæ Divinæ, & si quæ diversam in creatis habent, ea sunt Entia plura realia, quæ verò eandem, unicum Ens reale sunt, cui nulla ante Intellectum competit à se ipso Distinctio.

LXVII. *Neque dicat* r. Animalitati & Rationalitati ante Intellectum conveniunt prædicata contradictoria, verum enim est dicere ante omnem Intellectum: Homo sentit per animalitatem; non sentit per rationalitatem: discurret per rationalitatem; non discurret per animalitatem: ergo formalitates istæ ante Intellectum sunt distinctæ, non strictè realiter, sic enim idem homo sunt: ergo formaliter ex natura rei. *Nam N. Ant.* vel potius *Suppos. illius*: Ante omnem enim Intellectum non datur formalitas animalis aut rationalis, multò minùs distincta, sed hæc nomina instituta sunt ad consignificandos conceptus, quæ fit formalis distinctio inter res ipsis substantes. Quòd si tamen in sensu reali & ante Intellectum loqui placet, homo æquè discurret per rem, quæ animalitas, quàm quæ rationalitas est; & sentit æquè per rem, quæ rationalitas est, quàm quæ animalitas, cum ante Intellectum & in sensu reali sit una eadèmq; res, atque ita Propositiones negativæ semper sunt falsæ. Quòd si verò loquimur

loquimur formaliter & dependenter à conceptu nostro, Propositiones quidem omnes veræ erunt, sed salvatur apparens in eis contradictio per meram distinctionem rationis.

LXVIII. *Neque dicas 2.* Ante omnem Intellectum animal & rationale habent Definitiones diversas, animal enim definitur vivens sensitivum, rationale verò principium discurrendi: ergo ante omnem Intellectum sunt distincta. *Nam* si loqueris de animali & rationali in eodem homine, jam sic definiendo, per rationem contradistinguis animal à rationali, miscésque conceptum. *Si dicis:* Te quidem accipere, sed ante Intellectum, in eodem homine; jam non definis animal, nisi definitione tantum inadæquatâ; cum enim animal, quod est in homine, etiam rationale sit, & quidem identicè, & hoc in definitione, ut adæquata fieret, oportebat exprimere. *Si dicis iterum:* Nemine cogitante animal est ratio similitudinis, & rationale ratio dissimilitudinis, hominis cum bruto: ergo distingui debent ista, etiam nemine cogitante. *Dico imprimis:* Similitudinem & dissimilitudinem strictè dictam non esse nisi secundum qualitatem, cum juxta *Philos.* similia sint, quorum qualitas est una: quare sic homo erit similis bruto per ipsas sensationes, dissimilis per ratiocinationes, hæ autem & ab ipsis & inter se sunt distinctæ realiter. Deinde ne sic videar difficultatem velle subterfugere, cum tibi sit integrum nomine similitud. ac dissimilitudinis intelligere convenientiam quandam ac disconvenientiam in prædi-

prædicatis essentialibus, de qua possit idem argumentum pari modo procedere. *Dico*: quòd in sensu reali æquè homo sit bruto dissimilis per animal, ac per rationale: & perinde similis per rationale, ac per animal, atque ita per idem sit aliquo modo similis, & dissimilis, quia scilicet per ipsum Esse hominis, quod & animal & rationale est, aliquatenus assimilatur, simulque dissimilatur bruto, hoc est, similis est cum aliqua dissimilitudine, sive similis imperfectè. Quod mirum videri non debet, cum omnis Similitudo claudicet, id est, nunquam tantà sit, quin in aliquo deficiat, nisi intercedat inter res realiter easdem, atque ita definit esse Similitudo, fiatque Identitas.

LXIX. *Nec dicas* 3. Ante omnem Intellectum Justitia ut sic aliquo modo distinguitur à misericordiâ ut sic, non strictè realiter; hoc enim in Deo falsum est; non ratione tantum, hæc enim Distinctio non datur ante Intellectum, insuperque constat in homine falsum esse: ergo formaliter ex natura rei. *Nam* imprimis N. dari ante omnem Intellectum Justitiam aut misericordiam ut sic, cum fiant per abstractionem Intellectus, præscindentis Justitiam & Misericordiam à Divina & creata. Deinde si petitur, quomodo Justitia illa per Intellectum præcisa distinguatur verè, & reipsâ à Misericordia similiter præcisâ? *Dico*: distingui partim realiter, partim realiter idem esse, cum enim Justitia sic præcisa realiter non sit aliud, quàm omnes Justitiæ, tum Divina, tum creata, & similiter misericordia omnes misericordiæ,
Justi.

Justitia autem Divina realiter sit eadem cum Divinâ Misericordiâ, creata verò à creata distinguatur realiter, patet ratio respons. Unde & in sensu reali veræ sunt Propositiones istæ, alizque similes: *Deus punit per misericordiam, misereatur per Justitiam : Intelligit per voluntatem, vult per Intellectum &c.* Quia res, quæ est misericordia, est in Deo res, quæ est Justitia, res quæ est voluntas, est res quæ est Intellectus &c. Econtrâ negativæ sunt falsæ. Secus est, si loquimur formaliter, & prout hæc prædicata nostris substant conceptibus, sic enim affirmativæ erunt falsæ, negativæ autem veræ, propter intervenientem Rationis nostræ distinctionem.

LXX. Altera pars Assertionis est contra Virtualistas, qui etiam propter Mysterium Sanctissimæ Trinitatis hoc suum distinctionis genus invenere, quod statim à sui principio Viri graves. etiam è Societate nostra, velut oraculum Cælo lapsum amplexi sunt; deinde verò nonnulli ad res etiam creatas transtulere. Intelligunt autem nomine hujus distinctionis virtualis, ut vocant, intrinsecæ (nam extrinseca est ipsa distinctio rationis fundamentalis, h. e. fundamentum, quod est in rebus ad hoc, ut ratione nostra distinguantur:) capacitatem rei intrinsecam ad sustinenda prædicata contradictoria, propter fecunditatem suam, quæ rebus realiter distinctis æquivaler. Sicut enim, ajunt, verificantur ambo prædicata contradictoria, si cadant in distincta realiter subjecta V. G. *Petrus scribit, Paulus non scribit.*

ita possunt quoque verificari, si cadant in sub-
 jectum realiter quidem unum idemque, sed
 virtute multiplex, & æquivalens distinctis v.g.
 Natura Divina communicatur Filio, Paternitas
 Divina non communicatur Filio, & in cre-
 atis, homo sentit per animal, non sentit per
 rationale, cum Natura Divina & homo æqui-
 valeant rebus realiter distinctis, etsi singula
 non sint nisi una realiter, eademque res. Sed
 quidquid sit de hac Distinctione in Divinis, ubi
 non exiguam patitur difficultatē, ac præsertim
 ex eo, quòd, cum relativè opposita, ut sunt pro-
 ducere, & produci, verificari nequeant, nisi de
 subjectis realiter distinctis, ne manifesta sequi
 contradictio convincatur: à fortiori nequeant
 prædicata contradictoriè opposita simul veri-
 ficari, nisi de subjectis realiter distinctis, cum
 oppositio contradictoria sit omnium maxima,
 & in quâ denique relativa fundatur. Quidquid
 inquam sit de hoc, admittenda non est talis
 distinctio in creatis: Tum quia sic destruitur
 principium lumine Naturæ notum, quòd idem
 nequeat simul esse & non esse, quoties enim
 adducetur, dicam, verum esse, secundum ean-
 dem sui virtualitatem, non secundum diver-
 sam: Tum quia sic invehitur in res creata
 inscrutabilis Mysterii Trinitatis tota difficul-
 tas, dicam enim statim, Intellectus produci-
 vitalitatem actûs Fidei supernaturalis, non
 supernaturalitatem ejus, etsi realiter cum vita-
 litate eandem, animal producit sensationem
 non rationale, etsi realiter idem sit cum an-
 mali, sicut in Divinis Paternitas producit, ut
 Natu.

Natura, & Filiatio producitur, non Natura, etiam Paternitati, quàm Filiationi Natura realiter identificetur: Tum denique, quia sic enervatur vis omnis syllogistica, nulla enim facile dabitur Conclusio, quam non perinde velim negare, & concedere, cum facile sit invenire virtualitatem aliquam vel in medio, vel in alterutro Extremorum, propter quam non concedi minùs, quàm negari possit, & contrà.

LXXI. *Neque dicas*: Cùm duo prædicata contradictoria cadunt in subjecta duo realiter distincta, salvatur contradictio: ergo etiam cùm cadunt in subjectum idem, sed virtute multiplex, hoc enim æquivalet realiter distinctis. *Nam neg. Seq. & dico*: Æquivalentiam istam conferre non posse ad sustinenda verè prædicata contradictoria ante omnem Intellectum, quia idem non potest simul esse & non esse; sed tantum ad hoc, quòd resejusmodi possit una operationes illas elicere, quas plures alia divisim, idque propter majorem fecunditatem & perfectionem suam. *Neque dicas iterum*, Idem actus Contritionis est amor Dei, & odium peccati: Sed nisi sit in actu tali distinctio virtualis intrinseca, erit amor peccati & odium Dei, quia totus indivisibilis actus, qui & amor est, & odium, terminabitur ad utrumque: ergo. *Nam N. Min.* Hoc sequitur, quòd idem actus secundum se totum & sit amor Dei, & odium peccati; adeoque in sensu reali vera sit hæc Propositio: Amor Dei est odium peccati, & contrà. Nullatenùs autem est odium Dei & amor peccati, quia in peccatum non tendit

Logica,

prosecu-

prosecutivè, nec averfativè in Deum. Planè
 ficut idem motus localis, quo tendo in Orientem, & est accessus ad Orientem, & recessus ab Occidente ; non tamen ideo recessus est ab Oriente, & accessus ad Occidentem ; quia ad hunc non progreditur, sed fugit, ad illum verò progreditur, non fugit. Ad extremum, quod hic tractari posset de Distinctione reali inadaquata in tertio, cùm in solo Deo dari constet & an sufficiat ad salvanda contradictoria, quæ in Divinis apparenter fiunt, investigationis si purè Theologicæ, censui Theologis esse relinquendum. Hoc unicè hic infero, quòd quæcunque in creatis est distinctio, ea vel realis si vel Rationis, cùm nulla alia, quæ quidem esse posset in super, ex dictis superfit.

ASSERTIO IV. LOGICALIS.

NUllum Universale datur totaliter
 parterei, si ve intra, si ve extra, si ve an
 singularia existens : Sed fit per actum Inte-
 lectus, non quidem fingentem, sed præscinde-
 rem, tum absolutum, tum comparativum. .
 actuali prædicatione de subjecto singulari
 test manere Universale. Est verum
 Genus respectu quinque præ-
 dicabilium.

* * *

* *

I.

Nullum Universale datur totaliter à parte rei, sive intra, sive extra, sive ante singularia existens.

LXXII. **U**niversale, si nomen spectes, est unum versus multa, h. e. unum dicens ordinem ad multa, sive unum commune multis. Definitur ab Aristot. & Philosophis communiter: *Unum aptum inesse, aut predicari de multis*: Inesse quidem, si est metaphysicum; predicari, si logicum; & quidem per veram sui Identitatem cum multis, inque ipsis multiplicationem, ut plerique passim explicant. Equamvis vel ex hoc sufficienter probata videri posset Assertio præfixa, eò quòd nihil sit à parte rei dabile, quod sit unum simul & multa, sic ut ipsum verè in multis plurificetur, & tamen unum sit: Quia tamen sunt, qui non eodem nixi fundamento, totum nihilominus Universale dari à parte rei contendunt, congingentes, nescio quam, admirabilem unitatem (in multitudine enim difficultas non est, cum à parte rei eam utique dari constet:) per ordinem hìc erunt refutandi.

LXXIII. *Primò* itaque non datur Universale à parte rei existens extra singularia, ut dicitur docuisse Plato, dequò eo refert Aristot. admisisse præter Individua singularia, naturas quoque rerum communes & específicas V. G. hominem ut sic, equum ut sic, quas alio nomine formas communes & Ideas vocaverit, dixeritque immobiles, ingenerabiles, incorruptibiles, æternas, à quibus dein omnia singularia

talis speciei acciperent suum Esse in tempore;
 veit per impressum aliquod sigillum in ipsis.
 Tria siquidem ponebat universum principia
 rerum Deum tanquam principium *a quo*; ma-
 teriam tanquam principium *ex quo*, & ideam
 tanquam principium *juxta quod*. Cum igitur
 hæc ideæ continerent essentias omnium singu-
 larium, à quibus hæc suum Esse participarent,
 atque ita dicerentur universales, insuperque à
 parte rei nemine cogitante existerent; dari
 Universale à parte rei inferebat, idque existens
 extra singularia, ab iisque realiter separatum.
 Verum hæc Platonis Sententia (si tamen est
 Platonis, quem hac in parte viudicant S. Aug.
 & S. Th. contendentes, eum voluisse tantum,
 quod scientia & idea rerum omnium in tem-
 pore factarum jam ab æterno fuerit in mente
 Dei, quod est verissimum:) ex duplici capite
 rejicienda est. 1. Quod sit Fidei Christianæ ini-
 mica, quæ nullam docet ab æterno Creaturam
 extra Deum extitisse. 2. Quod licet ejusmodi
 naturæ communes darentur, adhuc non essent
 verè universales, quia per veram identitatem
 multis singularibus nequaquam inexisterent,
 utpotè ab his realiter separatæ ac distinctæ.
 Porro quod attinet ad Asserti hujus, ut jacet,
 Platonici fundamentum, vulgò circumfertur,
 illud fuisse Axioma Veterum; *Res eodem modo*
sunt in cognoscente, sicut sunt in seipsis: Sed in
 cognoscente, subsumebat Plato, sunt immobi-
 liter, quia per Scientiam res certò & infallibi-
 liter cognoscim⁹, h. e. immobiliter; ergo & sunt
 immobiliter in se ipsis; atqui res singulares,
 que

quæ sunt hic ante oculos nostros posita, non sunt in seipsis immobiliter, quia nasci videmus, & occidere; ergo necesse est dari in super res quasdam alias naturâ suâ immobiles, circa quas versentur Scientiæ, quæ sunt ipsæ ideæ, sive communes naturæ rerum, incorruptibiles, & æternæ. Sed cur ex illo axioma non subsumebat Plato; sed in seipsis res sunt mobiliter, ut videmus: ergo & sunt mobiliter in cognoscente? Et jam incidisset in oppositum errorem Veterum, qui ex eodem principio deducebant, nullam omninò de rebus huiusce dari cognitionem immobilem, sive Scientiam posse. De cætero ut ad axioma respondeam, potest illo permissio *dist. Min.* Sed res quoad connexionem necessariam prædicatorum suorum sunt in cognoscente immobiliter *conced.* Quoad sui existentiam *neg.* Sed hinc nec a longè sequitur, dari id genus Ideas, multòque minus, si darentur, universales fore.

LXXIV. *Secundo:* Non datur Universale à parte rei ante singularia, & in statu possibilitatis, ut voluit Fonseca, docens: naturam V. G. humanam, priusquam actu existeret, fuisse indifferentem, ut vel inesset Petro vel Paulo; per actualem verò existentiam determinari ad unum potius quàm aliud Individuum, adeòq; pro eo statu possibilitatis, seu antecessionis & solitudinis, ut vocat, fuisse unam, aptamque inesse multis, & per consequens universalem, idque ante omnem Intellectum. Nam, *primò* falsum est, fuisse naturam, quæ modò est in me, priusquam esset in me, indifferentem, ut vel esset

in me, vel in alio, cùm eadem omninò sit natura possibilis, quæ est existens. Sicut ergo existens in me singularis est, sic erat & possibilis.

2. Natura, quæ est in me, identificatur singularitati meæ, quæ est in me, erat ergo possibilis eadem cum singularitate meâ possibili: quo modo igitur indifferens erat, ut esset in Paulo, cùm singularitas mea nequeat esse eadem cum singularitate Pauli? Nisi fortè aut mea singularitas sit distincta realiter à naturâ meâ, aut ego possim esse Paulus, & à me ipso alius.

3. Demum gratis admittâ tali naturâ possibili, illa necdum universalis erit, quia non poterit per veram identitatē actu esse in multis, cumq; verâ sui multiplicatione in illis, sed tantùm disjunctivè in hoc vel isto Individuo, ut ipse Fonseca explicat, quod nisi ad Universale requiri admittat, quâ ratione naturam divinam maximè singularem, sed in Tribus existentem Personis, realissimè distinctis, ab Universali excludet. Nec juvat dicere, quòd Deus creaturus hominem, perindè poterat creare Petrum, quàm Paulum, adeoque natura humana pro priori ad creationem sui, indifferens erat, ut vel Petrus fieret vel Paulus. Nam creaturus hominem Deus, non decernit creare hominem in confuso, & præscindendo à singularitate, sed hunc in Individuo. Sed neque natura illa, priusquam esset, indifferens erat, ut vel fieret Petrus vel Paulus, utpotè realiter eadem cum singularitate suâ possibili, sicut existens eadem est cum existente; imò si esset, ex dictis necdum universalis esset. Nec juvat iterum, quòd

quòd natura humana, priusquàm esset, necdum erat contracta per singularitates, adeòque non singularis erat, & per consequens universalis. Nam sicut actualiter existens est contracta per singularitatem actu existentem identificatam ipsi, ita possibilis erat contracta per singularitatem possibilem ipsi identificatam; nisi forte naturam humanam possibilem accipias in specie, ut à cunctis singularibus formaliter præcisam, sic enim non reluceret Intellectui ulla singularitas eam contrahens, estque verè universalis, sed non ante omnem Intellectum.

LXXV. *Tertio* : Non datur Universale à parte rei in ipsis singularibus existens, quale confingunt Scotistæ. & cum his Cajet. etsi cum aliquo discrimine, ope suæ distinctionis mediæ, juxta quam hîc etiam unitatem quandam inter realem & rationis mediâ, ante omnem Intellectum fabricant. Cùm enim naturam V. G. humanam à singularibus distinguant suâ Distinctione mediâ, per quas singularitates formaliter invehitur pluralitas, jam si natura ab his liberetur, fit aliquo modo, & quidem, ut plerique Scotistæ volunt, positivè una; ut verò vult cum nonnullis aliis Cajet. solum negativè, quatenus jam non est singularis, quod ad Universale sufficere ipsi contendunt. Unde cùm Unitas ista habeatur ante omnem Intellectum ex natura rei, aliundè autem adsit pluralitas strictè realis, dari à parte rei totum Universale concludunt. Verùm hæc sententia, præterquàm quòd falso nitatur principio, jam tum *Num. 66. & seqq.* refutato, novam hîc difficultatem

tatem incurrit, quo modo natura humana Petri, quæ strictè realiter identificatur Petro, & natura humana Pauli, quæ similiter eadem est cum Paulo, fiant ante Intellectum unum quid & positivè commune multis, id quæ per veram identitatem sui cum multis, sic ut ante omnem Intellectum verè & unum sint, & multa. Argumenta autem omnia, quæ in favorem hujus sententiæ formari possunt, eò præcipuè tendunt, ut probent dari ante omnem Intellectum unitatem aliquam, quæ sit inter naturam V. G. humanam Petri & Pauli. Verùm ut inter prædicata realiter eadem nulla est ante Intellectum distinctio, sic inter realiter distincta unitas nulla, quæ quidem ad Universale possit aliquid conferre. Quòd enim hic nonnulli recurrant ad unitatem fundamentalem, quæ sit ipsa similitudo inter naturas ejusdem speciei, deturque ante omnem Intellectum, nova est Hæresis in vera Philosophia, Apostasiam faciens à communi acceptione Universalis. Sed neque satis est in ratione fundata, eò quòd Similitudo distinctè pluralitatem exprimat, cum omne simile sit alteri à se simile. Quo non obstante, si nihilominus unitatem putant esse ad Universale sufficientem, quæstionem faciunt de nomine, in quâ contrarium cum communi sentire, solatium est.

II.

Sed sit per actum Intellectus, non quidem fingentem, sed præscindentem.

LXXVI. PRIMA pars hujus Assertionis sequitur ex prior: : Si enim Univer-

Universale non existit totaliter à parte rei, & ante omnem Intellectum, defectu unitatis ad ipsam requiritur, & tamen datur, ut ex communi Philosophia suppono, & Experimentiâ comprobari potest; necesse est dari per Intellectum, cujus ope ea, quæ verè à parte rei, & in se sunt multa, fiant aliquatenus unum & Universale. Nihilominus duo possent hac in parte dubia occurrere: *Primum*: An Universale fiat per Intellectum agentem, an patientem, sive possibilem? *Alterum*: Si fiat per Intellectum patientem, & operationem illius, quæ est ipsa cognitio, an per omnes tres Intellectus istius operationes fieri Universale possit? *Ad primum*. Quod Universale non fiat per Intellectum agentem, hic enim ex communi acceptione tantum producit speciem impressam spiritualem, quæ est imago objecti solum virtualis, per quam res inchoative tantum & radicaliter est in anima; sed per patientem, qui producit ipsam cognitionem, sive imaginem formalem objecti, per quam res est complete & formaliter in anima. Et hinc passim dicitur, quod Universale sit multa, confuse cognita, per modum unius; cognoscere autem solius Intellectus patientis est; etsi de cætero idem realiter sit Intellectus, & agens, & patiens, soloque munere per rationem distinctus, adeoque in sensu reali uterque sit faber universalium. *Ad 2. &c.* Quod per omnes tres Intellectus operationes Universale fieri possit, quia per omnes tres confuse cognosci multa possunt, confusione prorsus ad Universale sufficienti; & per

apprehensionem quidem, cum dico, v.g. *homo* abstrahens naturam humanam à cunctis hominibus ; per Judicium verò, cum dico, *homo est species* ; denique per Discursum, cum dico, *homo est species* : ergo *animal est genus*.

LXXVII. Secunda Pars est contra Thomistas, qui sicut in quavis alia denominatione logicâ, ita & hîc habere debent suum Ens Rationis logicum : dicunt enim, ut videre est apud *Semery hîc*, Intellectum nostrum Universale metaphysicum facere per hoc, quòd in natura realiter multis fingat unitatem seu identitatem aliquam, V. G. fingendo omnia animalia esse unum animal, faciat animal objectivè præcisum à suis Differentiis, Universale, & Genus respectu hominis ac bruti. Quòd si deinde per cognitionem reflexam animal istud ita confectum, & præcisum à Differentiis, comparetur ad sua inferiora, jam fiat Universale logicum confurgatq; celebris illa relatio, sive respectus Rationis cum fundamento in re. Fundamentum hujus figmenti, quòd quidem apparenter sit solidum, aliud non habent, nisi quòd pure unitatem merè extrinsecam ipsius cognitionis insufficientem esse ad hoc, ut ipsum objectum denominetur unum ; sed id necessariò habent volunt à forma quadam ipsi objecto intrinseca, non reali, ut patet, ergo fictâ. Planè sicut loquuntur de denominatione subjecti, prædicati &c. de qua supra dictum est *Noms. 20*. Sed præter ibidem dicta, contra hanc Sententiam est, quòd sine tali figmento totum Universale salvari valeat, ipsaque cognitio confusa ac præci-

præci-

VICARIA
 a in ad denomi
 nam, quod suffic
 Abstr. Universale
 vere aptum in
 ma individuâ reat
 ale identificari p
 animal, quod fin
 nequidem, ut hîc
 animalia, qua
 al, verè de Petro
 hîc ergo dicunt
 tio, totam Unive
 que fieri formalit
 stram, quâ si
 ita sub unâ ratio
 formaliter, &
 am individuan
 am ab alio; se
 in objectum ab
 multiplex, an no
 am à multitu
 extrinsecè exere
 itas ista præci
 ale sufficiat, ex
 tale non requir
 possit verè ineff
 que est ipsa Un
 am sit sufficiente
 am verè extrin
 & intrinsecè
 contrarium nemo
 Hîc cog

præcisiva sufficiens sit ad denominandum ob-
jectum extrinsecè unum, quod sufficere paulò
post videbimus. Adhæc Universale illud fictè
unum, non est quid verè apud inesse multis
per identitatem, quia individuis realibus nihil
fictum & impossibile identificari potest, Pe-
trus enim non est animal, quod fingitur esse
omnia animalia, nequidem, ut hîc dici solet,
intensivè, nec omnia animalia, quæ finguntur
unum esse animal, verè de Petro prædicari
possunt.

LXXVIII. Rectiùs ergo dicunt alii, & cum
his præsens Assertio, totam Universalis unita-
tem haberi, adeoque fieri formaliter, per ipsam
cognitionem præcisivam, quâ sic confusè re-
præsententur multa, sub unâ ratione communi,
ut non exprimat formaliter, & ex parte sui
rationes singulorum individuantes, adeoque
non discevat unum ab alio; sed neque in ipso
actu appareat, an objectum ab eo repræsentat-
um sit reverà multiplex, an non? Atque ita
præcisivè liberatum à multitudine, fiat per
ipsum actum extrinsecè exercitèque unum.
Quòd autem Unitas ista præcisiva & extrinse-
ca ad universale sufficiat, ex eo fit apertum,
quòd ad universale non requiratur unitas alia,
quàm vi cuius possit verè inesse & prædicari de
multis, utpotè quæ est ipsa Universalis Defini-
tio; hoc autem fit sufficienter vi talis cogni-
tionis, per quam verè extrinsecè & præcisivè
ea, quæ realiter & intrinsecè multa sunt, unifi-
cantur, cui contrarium nemo unquam evincet,
ergo. *Dicunt*: Huic cognitioni non posse
congru-

congruum attribui objectum, quod vel non impediatur Universale, vel supponat jam factum. Si enim assignantur multa Individua, quæ formaliter actus attingat, impeditur Universale, quia expressio multorum impedit unitatem. Si vero assignatur prædicatum commune, quod signatè attingatur, & sit objectum actus, jam illud pro priori ad actum erit unum, & per consequens universale, cum sit quoque realiter multiplex. *Sed Et.* Objectum cognitionis istius esse multa individua, non expressa sub nomine multorum, sic enim impediretur unitas, sed sub nomine & ratione quâdam, in quâ conveniunt omnia, similiaque sunt; ita tamen, ut neque similitudo, neque multitudo ista formaliter ex parte ipsius actus appareat, fiantque non signatè, & pro priori ad actum, sed exercitè, & per ipsum formaliter unum quid, & commune multis. V. G. dum facio hoc Universale, *homo* objectum actus universalificantis sunt omnia Individua humana, non expressa sub nomine Petri, Pauli, &c. sed sub hoc nomine, *homo*, in quo exercitè per ipsum actum, & extrinsecè unificantur omnia, in quantum repræsentantur ita confusè, ut quæ reverà sunt multa, non appareant esse multa, sed neque signatè & ex parte ipsius objecti apprehendantur ut unum, verum fiant extrinsecè formaliter & exercitè per actum ipsum, talémque modum repræsentandi. Quod si jam tibi videatur, per cognitionem ejusmodi præcisivam multa quidem fieri unum unitate quadam negativâ, quatenus à multitudine, per eam formaliter non expressâ,

libe-

liberatur; sed nequaquam unitate positivâ, qualis est ad universale necessaria, cum utique sit aliud, non esse formaliter multa, aliud esse formaliter & positivè unum: Contra dico: quod si per unitatem positivam intelligatur unitas quædam ficta, & velut intrinseca objecto, ipsa quoque multis; ea quidem non habeatur per ejusmodi cognitionem præcisivam, sed neque sit ad universale necessaria. De cæterò habetur unitas præcisiva, & extrinseca, eaque positiva, utpotè realiter ipsa cognitio positiva, quæque sit ad universale sufficiens, quia vilius natura potest verè de multis prædicari.

III.

Tum absolutum, tum comparativum.

LXXIX. **U**T hæc Assertio plenè intelligatur, distinguendum est inter Universale metaphysicum, & logicum, tum remotè, tum proximè prædicabile. Metaphysicum est, quod præcisè aptum est inesse multis, estque proprii rationis ad logicum, quod est aptum prædicari de multis, cum suo modo prius sit inesse, quàm verè dici posse de multis, & hæc bona videatur causalis; Ideo verè dici potest *Prædicatum aliquod de Subjecto, quia verè inest, h. e. idem est cum subiecto.* Est autem Universale logicum remotè prædicabile, quod quantum est de se, dici potest de multis, etsi necdum habeat cuncta requisita ad hoc, ut proximè & jamjam prædicetur, vocarique solet proprietas metaphysica universalis metaphysici, quia realiter idem cum illo, sed ratio-

ac

netamen nostrâ aliquo modo consequens ad illud, utmodò dictum est. Huic Universale logicum proximè prædicabile superaddit ista præviè requisita, inter quæ videtur esse cognitio comparativa talis prædicati cum subjecto de quo prædicabitur, quæ si deficit, non erit tale prædicatum proximè expeditum ad actum prædicationem, cum Intellectus non procedat cæco modo, neque soleat actu prædicare, nisi præcedat apprehensio quædam & subjecti, & prædicati, & convenientiæ hujus cum illo. Quòd si jam positâ tali apprehensione comparativâ, Intellectus procedat ad Judicium, fiet universale logicum actu prædicatum.

LXXX. His ita præmissis, quæritur: an universale tum metaphysicum, tum logicum sufficienter possit per cognitionem prædicativam, merèque absolutam, quâ nempe non fit aliqua comparatio prædicati communis ad inferiora, signatè talis: An verò cognitio sciens universale, sit necessariò signatè comparativa? In quo non est una Philosophorum opinio: Sunt enim, qui primum teneant cum Toletò; sunt qui secundum cum Polizzio plerisque Thomistis; sunt qui viâ incedunt mediâ cum Suarez, voluntque necessariò fit universale metaphysicum per cognitionem absolutam, sicut logicum necessariò per comparativam. Ego adhuc distinguendum putavi & dicendum, universale metaphysicum & logicum remotè prædicabile non fieri necessè per cognitionem comparativam, sed posse per
ab

absolutam ; logicum verò proximè prædicabile, & actu prædicatum necessariò per comparativam. Ratio primæ partis est, quia per talem cognitionem absolutam ex *Num. 78.* multa fiunt extrinsecè unum, & tali quidem unitate, vi cujus unum illud possit verè inesse, & quantum est de se, prædicari de multis, modo cætera deinde requisita ad prædicabilitatem proximam accedant, de quibus dixi *Num. 79.* Ratio secundæ partis est ; quòd ut universale logicum fiat proximè prædicabile, cuncta debeat habere expedita ad hoc, ut jamjam prædicetur, inter quæ esse dixi cognitionem comparativam prædicati communis cum subjecto, de quo prædicandum est, V.G. hominis cum Petro, aut animalis cum homine, si de his facienda est talis prædicatio. Et ne quis putet, cognitionem istam comparativam non esse eam ipsam, per quam fit universale, sed habere se merè concomitanter, aut consequenter ad illud pro priori jam factum cognitione absolutâ : Est hæc ipsa cognitio comparativa formaliter faciens universale logicum proximè prædicabile, esto possit præsupponere aliam cognitionem absolutam, quâ præviè fiebat Universale metaphysicum, & logicum remotè prædicabile, utpotè ad quod necessaria non erat talis comparatio, sicut ad illud esse dixi necessariam, ex ratione *Num. præc. data.* Ratio tertiæ partis clara est, cum enim omne Judicium sit essentialiter comparativum prædicati cum subjecto, si quidem potest per Judicium universale fieri, & manere in actuali prædicatione

tione tale, ut fieri potest, necesse est per cognitionem comparativam fieri Universale logicum cum actu prædicatum. In illud unum præcipuum incumbit difficultas hujus tertie & 2dæ partem ut sustineatur, per talem comparisonem (si jam fiat per Judicium, sive per apprehensionem simplicem, actu prædicatum, aut proximum prædicabile :) prædicati universalis ad sua inferiora, non destrui universalitatem ipsius, quod commodius uno labore paulò post expediam.

LXXXI. Contra primam verò partem hæc *Dices 1.* Si non institutâ comparatione prædicati communis ad sua inferiora, haberi potest Universale metaphysicum, hoc non respiciet actu sua inferiora, sed tantum erit aptum respicere, & natura V.G. humana non magis respiciet Individua humana, quàm equina, quia ad neutra actualiter referetur. *Sed R.* Quòd non institutâ tali comparatione signatâ, natura communis vi solius abstractionis absolutæ, actu respiciat exercitè sua inferiora, quia exercitè vi illius fit una, & superior ad illa, & quantum est de se prædicabilis. Et quoniam natura humana, vi talis abstractionis, non fit superior, & quantum est de se prædicabilis, etiam exercitè, de individuis equinis, sed humanis tantum, utpotè à quibus tantum abstracta est, & cum quibus realiter identificatur, patet ratio, cur potius actu, sed exercitè, referatur ad Individua humana, quàm equina. *Dices 2.* Si potest fieri Universale per talem actum absolutum sine ulteriori comparatione, fieri

fieri per eandem cognitionem poterit multiplex Universale, V.G. si τὸ *album* abstraham ab *albis* simpliciter omnibus ; hoc enim erit Species respectu hujus & istius albi ; & simul proprium respectu hujus & istius nivis aut *cygni*, cui propria fit albedo ; & simul accidens respectu muri & hominis albi. *Sed Re. conc. seq.* in qua nihil est absurdum magis , quàm quòd per eandem visionem tria simul dicantur objecta esse visa ; modò hoc solùm advertas, quòd physicè loquendo forent tria Universalia tantùm inadæquatè distincta, propter formam physicè eandem, sive cognitionem, in singulis, absolutè tamen tria, quia tria subjecta in recto importata, ad cujus recti multiplicationem simpliciter secundùm Dialecticos concreta multiplicantur. *Dices 3.* Per cognitionem absolutam natura non habet negationem Differentiarum, sed hanc accipit per comparationem, quâ reflexè natura cognoscitur esse à Differentiis præcisa ; ergo per hanc, non per illam, fit universalis. *Sed Re. dist. Ant.* Per cognitionem absolutam natura non habet exercitè negationem Differentiarum *Neg.* Non habet signatè *Conc.* Sed hoc non requiritur ad Universale, satis enim est, quòd exercitè à Differentiis, per quas fit plurificatio, liberetur, non quidem positivè, aut exclusivè, sed præcisivè.

IV.

In actuali predicatione de subjecto singulari potest manere Universale.

LXXXII.

PRO fundamento hujus Sententia supponendum est,

Logica.

H

NON

non solum posse actum aliquem Intellectus
ferri in plura distributive, collective, aut dis-
junctive, sed etiam ita confuse, ut ab isto sententia
triplici præscindat, ipseque actus, quantum
est ex parte sua, possit perinde in eorum singu-
lis verificari, etsi per accidens defacto & ratio-
ne objecti, quod hic & nunc non potest in omni,
sed aliquo tantum sensu competere subje-
cto, non verificetur in omnibus. Et hæc est
celebris illa suppositio confusa vel absoluta
quam & signate personalem, & exercite sim-
plicem appellant, in qua præsentis Sententia
patroni contendunt esse accipiendum *tò homo*,
in hac prædicatione Petrus est homo, ut ma-
neat prædicatum universale; sic, ut actus præ-
cisè affirmet Petrum esse hominem, & nihil
amplius; quod verum sit, quantum est ex parte
ipsius actus, sive Petrus sit hic homo singularis,
sive sit aliquis homo disjunctive, aut disjuncti-
m, sive sit omnis distributive, aut collective
homo; quidquid enim horum fuerit, manet
quod sit homo; etsi defacto ratione materiae
sive objecti non verificetur, nisi per hunc sin-
gularem, aut aliquem disjunctive hominem,
quod tamen ipsi actui secundum se omnino per
accidens est, cum posset ipse verificari, quan-
tum de se, perinde & in cæteris. Porro posse
sic Intellectum tendere in objectum universa-
le, adeoque verè talem suppositionem termini
communis dari posse, ex eo probant illius Pa-
troni, quod nulla appareat ratio negandi, quin
imò videatur ipsa comprobari Experimentia in
eo, qui voluerit tentare, idque salvâ veritate
Propo-

Propositionis, cum, ut dici solet, Præscindendum non sit mendacium. Accedit, quod ipsi illius Adversarii, cum suppositionem personalem dividunt in 4. vulgatas species, in hac ipsa suppositione videantur accipere illud divisum, utpotè quod aliquid commune est, & præcisum à speciebus istis, & ad quamlibet earum perinde contrahibile; adeoque signatè suppositio personalis est, hæc enim est, quæ dividitur, & exercitè simplex, quia per Intellectum à quatuor istis speciebus logicè abstracta.

LXXXIII. Hoc posito, sic jam procedit Argumentum fundamentale Assertionis: Potest in hac prædicatione, *Petrus est homo*, ita representari prædicatum commune, ut neque pluralitas, neque singularitas in illo clarè reluceat, & tamen sit reverà multiplex, idque salvâ veritate Propositionis; ergo potest prædicatum illud manere universale. Pater Conseq. Quia talis cognitio confusa ex dictis Num. 78. est universalificans. *Ant. autem prob.* Imprimis id absolutè fieri potest, quid enim obstet? Si enim ita possum tò *homo* simpliciter apprehendere, quid ni prædicare de Petro? Sive verè sive falsò, necdum disputo. Deinde fieri id etiam potest, salvâ Propositionis veritate, quia manebit conformis objecto: cum enim verè Petrus sit homo, propositio præcisè dicens, *Petrus esse hominem*, non potest non objecto suo conformari. Nec refert, quòd Petrus non sit homo sic præcisè acceptus; talem enim esse hominem, propositio signatè non adstruit, sed verè ac præcisissimè dicit esse hominem, non

dicendo qualis est, Præscindentium autem non
 est mendacium. Alterum argumentum sic pro-
 greditur: potest eadem res eodem actu Judiciorum
 cognosci clarè ac determinatè ex parte subje-
 cti, & simul confusè ac indeterminatè ex parte
 prædicati, ut si dicam, *Petrus est aliquis homo*
 ergo potest etiam cognosci ex parte subjecti
 eadem res contractè, & non contractè ex parte
 prædicati; neque enim magis opponuntur
 conceptus contractivus & non contractivus
 quàm clarus & confusus, determ- & indeter-
 minatus ejusdem rei ex parte diversa; aut
 ostendatur, quid illud potiùs habeat repug-
 nantiæ specialis. Tertium est illud: tò homo
 prout substat apprehensioni confusè, est uni-
 versale, ergo etiam esse potest, prout substat
 Judicio, quo affirmatur de Petro; idè enim
 substans apprehensioni est universale, quia vi
 apprehensionis istius non exprimitur singula-
 ritas aut pluralitas, etsi sit revera multiplex
 ergo cum possit idem fieri per Judicium illud,
 neque enim dico: *Petrus est hic homo, aut aliquis*
homo, aut omnis homo, sed præcisè: *est homo*
 etiam ut eidem substans esse poterit Universa-
 le. Plures rationes brevitatis gratiâ hic adscri-
 bere supersedeo. Volo autem, quod de hac
 prædicatione dico, *Petrus est homo,* pariformi-
 ter intelligi ex paritate rationis de his: *Petrus*
& Paulus est homo, Petrus vel Paulus est ho-
mo; imò de his etiam negativis, *Petrus non est*
lapis, Buccephalus non est homo, quia & in his præ-
 dicatum potest ita confusè representari; licet
 si negativa istæ resolvantur, prædicatum in iis
 exponi

LOGICALIS.

Sicut:

autè secundum

Judiciorum.

Im videamus,

Sicut inco-

prensus hactenus igno-

scit? an idè falsa

Dialectica?

Dein-

parte personalis.

neque verò habeat

modo ignota? Si di-

sciam Suppositionem

talem esse igno-

tans conatum.

cum veteres

num in hac Pr-

supponere dic-

gare, ergo exer-

cos tamen ad qu-

personalem in 4-

illa mentione istiu-

Dico, quod in ipso

aut si hoc non p-

nam è quatuor spec-

fal, in qua modo d-

re, non quidem ra-

sicutat, exponi, si

re, reducatur ad di-

quod ipsa cogni-

tatem habeat rende-

solvitur, exponi de-

secundum leg-

exponi debeat distributivè, sicut in prioribus affirmativis disjunctivè secundum Leges Dialecticæ de Suppositione.

LXXXIV. Jam videamus, quid contra possit. *Dices*: Hæc Sententia inducit novum genus Suppositionis hactenus ignotum Dialecticis. *sz.* Quid inde? an idem falsa, quia superaddit aliquid vulgatæ Dialecticæ? Imò laudandus magis conatus iste. Deinde cum hæc Suppositio sit signatè personalis, & exercitè simplex, utramque verò habeat communis Dialectica, quomodo ignota? *Si dicis*: Hanc ipsam Distinctionem Suppositionis utriusque in signatè & exercitè talem esse ignotam Dialecticis: Iterum laudas conatum. Et quomodo hæc etiam sit ignota, cum veteres Summulistæ apud Petrum Hispanum in hac Prop. *Homo est animal*, tò animal supponere dicant simpliciter? Certè non signatè, ergo exercitè. *Si dicis iterum*: Dialecticos tamen adæquatè dividere Suppositione n personalem in 4. istas species vulgatas, sine ulla mentione istius Suppositionis confusæ: *Dico*, quòd in ipso diviso meminerint implicite, aut si hoc non placet, per me licet, ut ad unam è quatuor speciebus istis revocetur, eam scil. in qua modo debet propositio, si resolvatur, non quidem ratione sui, sed objecti, ut verificetur, exponi, sic ut hæc V. G. Petrus est homo, reducatur ad disjunctivam in prædicato, non quòd ipsa cognitio judicans in prædicato modum habeat tendendi disjunctivum, sed si resolvitur, exponi debeat in prædicato disjunctivè, secundum leges Dialecticæ.

Quòd si verò contendis ampliùs, & *Dicis*, ha
 Sententiam usque adeò contrariari legibus
 versis Dialecticæ, ut quòd prædicatum com-
 mune personaliter acceptum in propositio-
 affirmativa supponat disjunctivè, distributivè
 verò in negativa: quòd termini in propositio-
 ne conversa & convertente debeant eodem
 modo supponere, quod non fieret in his, *Petrus*
est homo, aliquis homo est Petrus: Quòd hic Sy-
 logismus notoriè vitiosus secundùm Dialecti-
 cam, non esset vitiosus secundùm nos: *Homo est*
species: Petrus est homo: ergo Petrus est species: &
 quòd non varietur Suppositio secundùm nos
 cum tò *homo* supponat utrobique simplici-
 ter: & econtrà hic secundùm Dialecticam bo-
 nus, esset secundùm nos vitiosus: *Omnis homo*
est animal: Petrus est homo: ergo animal, ob ratio-
 nem contrariam. Jam *Neg.* absolutè totum
 quod dicis, & ad 1. assero, te eodem plane li-
 gari argumento, si quidem me ligat, ut qui cum
 communiore Sententiâ tuâ, ut credo, dicis,
 quòd in hac Prop. *homo est animal*, tam subje-
 ctum, quàm prædicatum manere possit univer-
 sale: An non ergo subjectum propositionis
 affirmativæ, in materia necessaria indefinitæ,
 supponere debet distributivè, aut si est in ma-
 teria contingente, disjunctivè, Prædicatum
 verò disjunctivè tantùm? Debent ergo sic sup-
 ponere, si propositiones resolvantur, non,
 quòd necessariò actus ipse judicans talem ha-
 beat modum tendendi. *Ad 2.* assero similiter,
 te perinde peti à te ipso; quid enim, si ita con-
 vertam: *Omnis homo est animal: ergo aliquod ani-*
 ani-

animal est homo ? An ibi *homo* supponit eodem modo in Propositione convertente & converti ? Negabis, ut scio, ex Regulis tuz *Dialecticæ* modò recitatis. Potest ergo terminus supponens distributivè mutari in supponentem disjunctivè potius, quàm supponens absolutè sive confusè ? Cur illud ? Ut sciam, sic rectè converti posse : *Petrus est homo* : ergo *homo est Petrus* : ita ut *homo* eodem modo supponat utrobique. Ad 3. quoque similiter assero : eodem teneri & te, nam in hac Prop. *homo est rationale*, ut credo, dicis tam subiectum, quàm prædicatum posse universalitatem retinere, adeoque simpliciter supponere. Quid si ergo subsumerem : atqui *Petrus est homo*, & concluderem : ergo *rationale* ? an ideo vitiosus fieret Syllogismus ex mutata Suppositione ? Non est ergo in Syllogismis tantoperè attendendum, quo modo supponant in illis termini exercitè, quàm signatè. Unde quia in primo Syllogismo posito transitur ad Suppositionem signatè personalem à signatè simplici ex parte mediæ, vitiosus erit ; secundus autem, quia constantè retinet medium supponens signatè personaliter, sicut & utrumque extremum, planè legitimus.

LXXXV. Dices 2. Si in dicta Propositione prædicatum manet universale, omnes homines prædicantur de Petro, quomodo igitur Prop. vera est, cum omnes homines non sint idem cum Petro ? R. cum dicis, *Petrus est aliquis homo*, nunquid omnes homines prædicantur de Petro ? Si potest ergo modus tendendæ

ASSERTIO IV.

formaliter disjunctivus verè omnes homines
 affirmare de Petro, cur non confusus & disjunctivus
 æquivalenter, esto identitas tantùm si
 inadæquata subjectum inter & prædicatum
 Neque hinc inferas: Ergo verè Petrus est omnis
 homo, quia verè de illo prædicantur omnes.
 Nam sicut id non sequitur ex eo, quòd
 verè dicendo, Petrus est aliquis homo, omnes
 homines prædices de Petro; eò quòd modus
 tendendi propositionis non sit distributivus
 aut collectivus, sed formaliter disjunctivus
 identitate solùm inadæquatâ contentus: Ita
 & hîc, ubi modus tendendi propositionis est
 confusus & absolutus. Quanquam, quantum
 est ex parte ipsius propositionis, si objectum
 modò pateretur, etiam in sensu distributive
 aut colectivo verificari non refugeret. *Sed
 arguèis ampliùs*: ut Intellectus affirmet prædicatum
 aliquod de subjecto, moveri debet ab
 aliqua identitate, saltem apprehensâ inter eos
 intercedere; sed sive in casu nostro moveatur
 ab identitate adæquata, sive inadæquatâ, non
 potest manere prædicatum universale: Si enim
 primum dico, cognoscitur clarè singularitas,
 quia quod identificatur adæquatè cum Petro,
 est unus homo singularis; si secundum, cognoscitur
 clarè pluralitas, quia ubi est inadæquatio,
 est partialis distinctio, ubi autem est distinctio,
 est multitudo. *¶* Intellectum moveri ab Identitate,
 quæ quidem realiter est inadæquata tantùm,
 sed formaliter proponitur ut præcisè est
 identitas, abstraheudo, an adæquata sit, an inadæquata.
 Quid enim vetat? eùm identitas ut

... prædicare
 ... cognoscitur
 ... adeoque cum
 ... hoc singulare cum
 ... prædicat
 ... in inadæqua
 ... hinc posse
 Dico. In dicto ca
 ... ergo mane
 ... Contrahitur, h.e.
 ... quod ex parte
 ... Si vere
 ... & absolute
 ... quod exprime
 ... universalificat
 ... Si vere
 ... tanten
 ... sed neg
 ... absolute singul
 ... univ
 ... ex qua non e
 ... ille sit un
 ... prædicand
 ... Dico
 ... extre
 ... diverfū; si
 ... eadem rem
 ... ac d
 ... ac indet
 ... subjectum fin
 ... propositio
 ... propositio nost
 H 5

fit ab utraque possit præscindere Quod si adhuc argu : Saltem actus iste cognoscit hominem identificari cum Petro, adeoque cum uno singulari; & vicissim hoc singulare cum homine. *Dico* : Quod cognoscit, sed præscindendo, quâ identitate, an adæquatâ, an inadæquatâ, cum quâ cognitione identitatis stare potest Universalitas actus.

LXXXVI. *Dices 3.* In dicto casu homo contrahitur ad singulare: ergo manere nequit Universale. *ꝛ.* Contrahitur, h.e. dicitur de singulari; non verò sic, quod ex parte sua dicat formaliter singularitatem. *Si argues* : Tamen actus iste simpliciter & absolute singularitatem exprimit : *Dico*, quod exprimat ex parte subjecti, in quo non universalificat, sed nequam ex parte prædicati. *Si argues iterum*, sine restrictione & absolute tamen singularitatem exprimit : *Dico*, quod ita sed nego, quod actus sine restrictione & absolute singularitatem exprimens nequeat ullatenus universalificare, etiam ex illa parte, ex qua non exprimit. *Si argues adhuc*, quod actus ille fit unus & indivisibilis, qui nequeat simul præscindere à singularitate, & eam exprimere : *Dico* : Id non posse quidem ex parte ejusdem extremi objectivi; posse tamen ex parte diversi; sicut potest unus indivisibilis actus eandem rem ex parte unius extremi representare clarè ac determinatè, ex parte alterius confusè ac indeterminatè. *Si argues deniq;* : quod subjectum singulare singularizes : *Dico* : quod propositionem, non prædicatum, & hinc propositio nostra singularis est.

et si de prædicato universalis, sicut ista singula
 ris est, *Petrus est aliquis homo*, et si de prædicato
 disjuncto, quia quantitas propositionis desu-
 mitur à subjecto.

LXXXVII. *Dices 4.* Quando terminus ma-
 gis communis jungitur cum minùs com-
 muni, terminus communis restringitur; illu-
 fit in casu nostro, homo enim jungitur cum
 Petro. ergo. &c. Hoc tantùm verum est, quand-
 sic jungitur, ut cum minùs communi coa-
 lescat in unum terminum, ut cum dico, *Hom-*
Germanus, secùs si id non fiat, sed unus teneat
 locum subjecti, alter prædicati. *Si dicis: Hi*
coalescere in unam propositionem: ergo re-
stringi magis, quàm si coalescerent in unum
terminum: Neg. seq. Quia potest in eadem
 proposit. alius esse terminus subjectum, aliu-
 prædicatum; ut constat in hac propositione
Petrus est aliquis homo. Si dicis iterum, potest
in hac prop. Petrus est homo, tò homo manent
Universale: ergo & in hac, Petrus est hic homo
quia poterit iudicium hoc dividi in tres virtu-
alitates, quarum prima representet subjectum
altera tò hic, secundùm quas non universalifi-
cet; tertia verò tò homo ita confuse, ut secun-
dùm hanc universalifcet: Dico: Id non sequi
saltem vi formæ, eo quòd ibi Syncategorema
immediatè afficiat prædicatum, quod eò insti-
tutum est, ut indicet terminum, cui immediatè
affixum est, singulariter accipi. In hac autem
prop. Petrus est homo, nullum prædicato Synca-
tegorema immediatè affigitur. Si urges, quod
in hac prop. mentali, Petrus est homo, tò Petrus
 æquè

æquè immediatè afficiat prædicatum *homo*, quàm in hac, *Petrus est hic homo*, Tò *hic*; et si enim voce tenus distet magis, sed non mente, in qua conceptus est omnino indivisibilis. Dico: tibi solvendum esse hoc idem in hac propositio-
Omne homo est animal, & quidem ex ratione sua, quia Tò *omnis* æquè propè conjungitur in mente animali, quàm homini, adeoque deberet utrumque supponere distributivè in mente. Quod si falsum est, quia propinquitas illa formalis, & indistantia ipsius actûs non infert continuò propinquitatem & indistantiam objectivam, ob representationem, quæ fieri potest, ejusdem rei variam; idem tibi responsum accipe. De cætero, quid tandem dari possit ad consequens Argum. quod paulò antè dicebam non sequi, saltem vi formæ, constabit ex dicendis infra Num. 152.

V.

Est verum Genus respectu quinque prædicabilium.

LXXXVIII.

Universale, si immediatè dividatur, duplex est; *Unum*, quod prædicatur essentialiter: *Alterum*, quod accidentaliter; quidquid enim de aliquo prædicari potest, alterutro modo prædicari necesse est. Si verò dividatur mediatè, sunt universim quinque: Nam si prædicatur essentialiter, vel prædicatur ut pars essentiæ materialis, & genus est; vel ut pars essentiæ formalis, & est Differentia; vel ut essentia tota, & est Species; Si verò prædicatur accidentaliter, vel convenit necessariò, eritque Proprium; vel

vel merè contingenter, & erit Accidens: *præ*
 ter hos autem quinque prædicandi modos *ne*
 mo facilè excogitabit alium. Unum est, quod
 in hoc quinario Universalium numero *diffi-*
 cultatem aliquam facit: quòd nempe *pro-*
 prium & accidens differre solùm videantur *ra-*
 tione materiæ, vel necessariæ, vel merè *contingentis*, quam non curet Logica; adeòque *de-*
 beant in supputatione logica duntaxat *quor*
 numerari: *Sed* *æ*. Quòd licèt tota hæc *diver-*
 sitas radicaliter sit & incipiat à *diversitate*
 materiæ, hinc tamen confurgat etiam *modus*
 ipse prædicandi diversus, quem præcipuè *curat*
 Logica: Sicut Syllogismus demonstrativus &
 probabilis radicaliter & inchoativè *differunt*
 ex sola materia; hinc tamen deinde *confurgit*
 etiam diversitas magna in ipsis actibus, *ob*
 modum tendendi, & adhzrendi longè *diversum*,
 unde & actus isti logicè *differunt*.

LXXXIX. Stabilito jam hoc numero, *di-*
 citur Universale ut sic esse verum *Genus* *res-*
 pectu quinque istorum Universalium. *Cujus*
 ratio est, quòd ista quinque *Universalia* *diffe-*
 rant specie in consideratione logica, *propter*
 modum abstrahendi specie *diversum*, quem
 habent singula; cùm ergo in eo *convenient*
 univocè, quòd sint *Universale*, est enim iis hoc
 nomen commune, est communis ratio per *no-*
 men significata, quæ est unum aptum *in esse*
 multis; jam necesse est, ut *Universale* *ut sic*
 respectu illorum habeat veram *rationem* *Ge-*
 neris. *Nec refert*, quòd hanc *rationem* *commu-*
 nem *universalis* ista *s. universalia* *diversimodè*
 partici-

participent : Hæc enim diversitas non importatur præcisè per Universale, sed per differentias *singulorum* : Sicut animal ratione Differentiarum diversimodè participatur ab homine & brutò, quo non obstante dicitur univochè *eisdem* convenire, haberéque veram rationem generis. Illud fortè posses aliquantò efficacius obmovere : quòd si Universale est Genus ad 5. ista Universalia, foret quid superius illis, & rursus quid inferius uno eorum, nimirùm Genere, utpote Genera sub se continente universalis. Verùm ad hoc etiam est respons. Utrumque diverso respectu, vique abstractionis diversa, posse contingere sine omni absurdo : Nam si genera omnia, species omnes, differentias omnes &c. essentialiter accepta cum suâ cognitione genereizante, specieizante &c. simul confundas, pèrque cognitionem reflexam ab iis abstrahas rationem Universalis, jam Universale ut sic fiet accidentaliter genus, & superius ad illa, ipsa verò sient accidentaliter species, sub universalis contenta. Quod si deinde novâ cognitione reflexâ præscindas Genus ab omnibus Generibus essentialiter acceptis, inter quæ unum sit universale unâ cum priorè cognitione acceptum, jam Universale subjicietur Generi, fietque accidentaliter Individuum, Genus verò ut sic erit superius cunctis Generibus, fietque accidentaliter species, cum genera omnia inter se non differant logicè, nisi solo numero.

XC. Hoc ut clarids intelligas, adverte diligenter ordinem abstractionum, in hac materia
 sic-

fieri consuetarum, qui est iste: 1. **Cognosc**
omnia animalia confusè per modum unius,
facis hoc genus, *animal*, quod fit accidentaliter
genus, quia per accidens est omnibus anima-
bus ita concepi confusè. Parimodo facis hoc
genus, *Planta, Vivens, Substantia* &c. Quo
autem dico de Generibus, idem intellige de
Speciebus, ut *Homo, canis* &c. de Differentiis
ut *rationalis, sensitivum* &c. de Propriis, ut *risi-
bile, flebile* &c. de accidentibus, ut *album, nig-
rum* &c. 2. A cunctis istis generibus, specie-
bus, differentiis &c. essentialiter acceptis, h. e.
ut substantibus priori cognitioni, & acceptis
unà cum illâ, novâ cognitione primò reflexâ
abstrahis universale, & jam Universale ut sic
fit accidentaliter Genus, & quid superius om-
nibus Generibus, Speciebus, Differentiis &c.
essentialiter acceptis, ipsa verò fiunt acciden-
tali-ter species sub universali contenta. 3.
Accipis idem illud Universale ut sic, unà cum
suâ cognitione genereizante, quo modo jam
est genus essentialiter, miscésque cum aliis ge-
neribus essentialiter acceptis, à quibus cog-
nitione secundò reflexâ abstrahis rationem ge-
neris, & jam Genus ut sic, quod est essentialiter
Genus, fit accidentaliter Species, & superius
cunctis generibus, ipsa verò Genera fiunt acci-
dentaliter Individua logica, ipsi subjecta, &
inter cetera ipsum Universale ut sic, quatenus
est unum parziale Genus essentialiter acceptū.
Quòd si jam dicis, hoc modo dari Genus supra
Genus generalissimum V. G. supra Substan-
tiam. Dico: dari, sed non in eadem linea
Substan-

Substantia, Universale enim, quod collocatur supra Substantiam, & Genus, quod supra Universale, non solas complectitur Substantias, sed etiam Accidentia, quæ subire possunt utiq; rationem Universalis, & generis respectu suorum inferiorum, sicut Ens participat rationem Generis respectu Substantiæ, & Accidentis. Si dicis iterum, hoc modo procedi posse in abstractionibus in infinitum : Dico : Te posse quidem novas semper novasque repetere cognitiones tuas, sed non ad futuram semper novam à priorè materiam, à qua fiat abstractio. Quod si tibi attentare placeat, per me licet, Ego non sequar viâ tam longâ, quia cerebro vereor meo.

ASSERTIO V. LOGICALIS.

Species predicabilis salvari nequit in unico Individuo possibili. Differentia inferior non includit formaliter Genus aut Differentiam superiorem. Specifica consistit in predicato essentiali notabiliter diverso. Principium Individuationis intrinsecum non est ordo ad materiam, vel quantitatem, sed ipsa Prædicata rei similia Prædicatis alterius. Potest ab omnibus Individuis abstractio communis & univoca Individui.

* * *

* *

I.

Species predicabilis salvari nequit in unico Individuo possibili.

XCI. **S**pecies alia est subijcibilis, quæ immediate subijcitur Generi alia prædicabilis, quæ de multis apta est prædicari ut tota essentia. Quod si dantur Individua specie distincta, quæis repugnet aliud habere simile intra speciem eandem, ut in Sententia Thomistarum sunt Angeli, & secundum alios Personæ tres Divinæ, quæ proinde nulli speciei, sed soli generi possunt immediate subijci; & hæc eadem Definitione continebuntur, si quidem nomine speciei subijcibilis notanda sunt. Quod si verò quis hæc à ratione speciei subijcibilis, velut merè singularia, malit exclusa, dicat cum Ovid. Speciem subijcibilem esse naturam in se verè multiplicem & intentionaliter unam, quæ subijciatur Generi. Porro hæc subijcibilitas radicaliter & remotè est ipsa aptitudo naturæ specificæ, ut collocetur sub genere, fundaturque in eo, quod sit quid minus latè patens Genere. Formaliter verò est actus Intellectûs comparativus, quo natura specificæ cognoscitur respectivè ad Genus, & collocatur sub illo. An autem dari possit species subijcibilis, quæ non sit etiam prædicabilis, pendet ex illo, an ejusmodi Individua, quæis repugnat aliud habere simile, de quibus modò, dicenda sint species subijcibiles, an non? quæ non potest esse quæstio nisi de voce. Hoc videretur esse certius, quod nulla species quæ subijcibilis sit

univer-

universalis & prædicabilis, nam quæ talis non abstrahitur à suis inferioribus, neque consideratur in ordine ad illa, sed tantum in ordine ad Genus, sub quo collocatur.

XCII. Major est circa Speciem prædicabilem Controversia, an in unico Individuo possibili salvari possit? h.e. an possit universalis esse, esto unum duntaxat habeat Individuum possibile, à cujus singularitate præscindatur? In quo Resolutio est negativa contra Thomistas, & ratio clara: Nam Universale est unum, per veram identitatem aptum inesse multis; talis autem non esset Species habens unicum Individuum possibile. Deinde Genus etiam secundum Thomistas salvari nequit in unâ tantum specie possibili; ergo nec Species universalis in uno tantum Individuo, cum sit par ratio, & quidquid à Thomistis adfertur pro disparitate, aut ad rem non faciat, aut in genere retorqueri possit. Adhæc si Natura Angelica v.g. Michaëlis, sed objectivè à Michaëlitate præcisa, non obstante illius physicâ immultiplicabilitate, quam defendunt Thom. fieri potest universalis; poterit similiter natura humana Petri præcisa à Petreitate, & Natura Divina à sua Singularitate præcisa; est enim tò *Deus* terminus communis, nequidem implicite significans Singularitatem, & vox, non instituta ad significandum Deum ex parte suppositi, sed naturæ: Hæc autem utraque sequela communiùs negatur à Thomistis, licet eam Philipp. à SS. Trinit. & Bonæsp. stando in ratione, velut legitimam agnoscant. Denique

Logica.

I

Arist.

Arist. & D. Th. ad rationem Universalis per
 petuo requirere pluralitatem ex parte natu-
 ra: & Arist. quidem L. 1. Perih. Lect. 10. expre-
 se inquit: *Dico autem Universale, quod de plur-*
bis naturis est predicari. Quod ipsum sepius
 alibi inculcat. D. Th. autem in 1. Dist. 19. C.
 4. A. 2. cum quaesivisset, an in Divinis sit Un-
 versale? Respondens negativè, hanc dat rationem
Quia natura universalis non est una numero
omnibus suis inferioribus, Divina autem Essentia
est una numero in tribus Personis.

XCIII. Quod si jam ista interpretantur
 Thom. de Universalis, quod sit tale secundum
 rem; non quod tale sit secundum rationem
 tantum, utpotè ad quod postremum sufficiat
 esse ex modo representandi tale, ut quantum
 est de se, & ex vi talis representationis, possit
 dici de multis, si hæc possibile forent, etsi de-
 fectu eorum jam verè nequeat; eunt vel sic in
 rum contra D. Th. qui Distinctionem quidem
 facit inter Universale secundum rem, & ratio-
 nem tantum; sed non illam, quam hic adducit
 Thom. Nam Universale secundum rem dicitur
 quod actu est in multis, quia plura ipsius Indi-
 vidua actu existunt, ut homo. Universale au-
 tem secundum rationem tantum illud dicitur
 quod quidem actu non est, tamen non repugnat
 esse in multis, quia plura ipsius Individua, etsi
 jam non sint, tamen sunt possibile, ut Sol
 Luna, quæ sunt exempla ab ipso S. D. allata
 Sed audiatur ipse 1 p. q. 13. a. 9. O. ita loquens
Natura humana communis est multis secundum
rem & rationem; Natura autem Solis non est

communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum. Et iterum Tr. 2. de Univ. ex Avicenna enumerans omnium Universalium classes, ita differit: *Aliquid dicitur tribus modis universale: Uno modo secundum quod predicatur de multis in actu, ita quod in multis reperitur, ut homo: Alio modo dicitur universale, quod possibile est predicari de multis, non tamen predicatur in actu, neque est in multis, nec aliquo modo extra animam, ut domus octangula, que solum est in mente Artificis: Tertio modo dicitur universale, quod non est in pluribus, sed in uno Individuo est, tamen sibi non repugnat esse in pluribus, ut Sol, Luna.* Quid clarius dicere in rem nostram potuisset? Unde si videtur alibi subinde loqui favorabiliter pro Thomistis, interpretationem patietur de Universali quodam negativè tali, quale dici potest Natura, quamvis sit unica, si à sua singularitate præcisa, non appareat expressè in Intellectu una. Nihilominus si Thomistis placet constanter suæ Definitioni Universalis secundum rationem tantum insistere, cur tandem poterunt, sed meram facient Questionem de nomine, eò denique recidentem, quid dicendum sit universale secundum rationem tantum? ubi gaudemus, non modò sentire cum plerisque Philosophis, sed & nullâ ratione, etiam in speciem duntaxat urgente, impugnari posse; cum pro basi firmissimâ teneamus ipsam Universalis Definitionem communiter receptam, quod *de pluribus aptum sive (ut inquit Aristoteles:) natum est predicari.*

Differentia inferior non includit formaliter Genus, aut Differentiam superiorem.

XCIV. Pro Fundamento hujus Assertio-
nis sciendum est, Differentiam
posse dupliciter accipi: 1. Completè vel ada-
quate, quatenus ipsa est totum aliquod habens
suum Genus & Differentiam, sic V.G. *rugibile*
est principium elicitivum rugitionis, ubi tò prin-
cipium habet locum Generis, tò *elicitivum*
rugitionis, locum Differentiæ. 2. Incompletè
vel inadæquate, ut præcisè est limitans Genus
quod dividit, contrahitque ad certam speciem
& sic *rugibile* est ratio contrahens animal ad
Esse Leonis. Idem pariformiter de ipsa *Rugi-*
tione, quæ est actio respondens *rugibili* vel
suo principio, dici potest, in qua realiter e-
dem, distingui per rationem hæc prædicatur
possunt: & quòd actio vitalis sit, & quòd sen-
satio, & quòd talis sensatio sive rugitio. Si
consideretur ut præcisè actio vitalis est, sic illa
formaliter pro principio correspondet viventi
neque enim, ut præcisè habeatur actio vitalis
opus est principio aut sentiente aut rugiente
ut per se clarum est. Si verò spectetur, ut præ-
cisè est sensatio, sic ei pro principio formaliter
correspondet animal; quia ut præcisè habeatur
satio, opus non est principio rugiente
ut iterum per se clarum est. Denique si præcisè
accipiatur ut rugitio est, sic ei formaliter pro
principio correspondet rugibile, cum ab alio
talis actio nequeat obtineri. Hoc posito, *Diffe-*

Differentiam completè accipias, involvet ipsa formaliter suum genus & differentiam, utpotè totum aliquod actuale, & specificè completum; haud secùs, ac homo involvit formaliter animal rationale. Si verò consideres incompletè, ut præcisè Differentia est, contrahens Genus, sic non involvet formaliter Genus ullum, aliámve Differentiam superiorem. Sic rationale, ut præcisè est ratio contractiva animalis ad hominem, non involvit formaliter animal aut sensitivum. Cujus ratio est 1. Quòd ex mente Philosophorum conceptus præcisè differentialis, sit Conceptus merè distinctivus rei ab alio; atqui si Conceptus ille formaliter involveret Genus aut Differentiam superiorem, non esset merè distinctivus, sed contineret aliquid aliis etiam commune, ut manifestum est: ergo. 2. Si Differentia inferior includit formaliter Genus aut Differentiam superiorem, vel præter ea continebit aliquid aliud, vel nihil? Si nihil: quomodo est ratio magis restringens & contrahens? Si aliquid: hoc non erit formaliter genus aut differentia superior, sed aliquid ipsis formaliter superveniens, ac restringens; atque ita hoc ipsum erit, quod Differentiam inferiorem vocamus. 3. Si Differentia est formaliter Genus, erit tota definitio Speciei V.G. si rationale est formaliter animal, erit tota Definitio hominis, quia formaliter principium & sentiendi, & ratiocinandi.

XCV. Nihilominùs *Oppones* 1. Rugibile V.G. est Differentia inferior, Genus superius & vivens; sed rugibile est formaliter vivens,

I 3

quia

quia rugibile est formaliter principium rugitionis. quæ formaliter est actio vitalis; quæ autem est formaliter principium actionis vitalis est formaliter vivens: ergo. *Sed jam tum præsuppositis huic itum est obviam, ubi tripliciter illud prædicatum in eadem rugitione formaliter distinguendum monui, & quod actio vitalis sit, & quod sensatio, & quod talis, scilicet leonina, eique correspondens sub quavis formalitate principium assignavi. Neg. ergo simpliciter, quod rugitio incompletè & differentialiter accepta sit formaliter actio vitalis, ideoque debeat illi quæ tali pro principio correspondere formaliter vivens, sive principium vitale; cum sufficiat rugibile differentialiter incompletè acceptum. Hoc dari potest, quod rugibile, quatenus est formaliter principium rugitionis sic acceptæ, sit præsuppositivè aut connexivè principium vitale, utpotè cui formaliter supervenit, contrahitque ad Esse Leonis: Sicut dari potest, quod ipsa rugitio sic accepta sit præsuppositivè aut connexivè actio vitalis, cui & ipsa supervenit, contrahitque ad Esse leoninæ. *Si urges quarendo: Quid ergo formaliter illa rugitio sic incompletè & præcise differentialiter accepta? Dico: Quod ratio metaphysicè contrahens actionem vitalem, ac sensationem ad Esse leoninæ, vel ut alibi loquuntur, quod sit talitas actionis vitalis ac sensationis. *Si instas quarendo: Quid si physicè? Dico: Sic esse totam realiter actionem rugitivam, eamque vitalem, sensitivam, & leoninam, cum physicè nulla sit inter hæc prædicata***

causa ejusdem actionis Distinctio. Quod si hoc non placet, sed scire contendis, quid præcisè ista talitas sit physicè? Jam terminis abuteris, cum scire velis, quid præcisè, h. e. formaliter, sit physicè. Si tamen sic desideras, dicam, quod scire præstolari: Est talitas soni. Jam quid? et præcisè quàm talis poterit, inquis, à Dæmone insidente efformari in ore Leonis mortui, atq; ita poni ab illo differentialis actio leonina. Quantum pondus! audi, non eadem illa, sed alia similis talitas poterit efformari à Dæmone, quæ tamen actio differentialis leonina non fit, eo quòd nequidem realiter foret actio vitalis, ut esse debet, si leonina erit.

XCVI. *Oppones 2.* Membra dividenda debent, etiam formaliter, participare rationem divisi; sed rationale V. G. & irrationale sunt membra, quæ dividunt animal: ergo debent rationem animalis formaliter participare. *Sed 2.* Maj. esse veram de membris, in quæ Genus dividitur, sùntque species sub illo contentæ, V. G. homo & brutum respectu animalis; non autem per quæ dividitur, & sunt Differentiæ, V. G. rationale, & irrationale respectu ejusdem animalis. *Oppones 3.* Hic Syllogismus rectè concludit in Darapti: *Omnis homo formaliter est animal: omnis homo formaliter est rationalis; ergo aliquod rationale est formaliter animal, & tamen concludit directè contra positam Assertionem. 2.* Jam prodis, te ratione nil posse ampliùs, cum ad fallacias converteris: Et verò cur non transponebas Præmissas? Sic enim pari Jure intulisses: ergo aliquod animal

I 4

forma-

formaliter est rationale, & jam Genus vicissim formaliter involveret Differentiam. *Neg. igitur conseq. Syllog.* propter 4. terminos, nam rationale sumitur in Minore completè, prout formaliter idem est cum homine, in consequente autem incompletè. *Quòd si dicas: Te utrobique accipere incompletè, sicut & animal: Jam & Adj. & Min.* falsa est, cum utiq; falsum sit, quòd homo conceptus in ordine ad Sensationes & Ratiocinationes simul, qualiter habet locum subjecti in utraque Propositione, sit homo conceptus in ordine ad Sensationes tantùm, qualiter habet locum prædicati in maj. aut ad Ratiocinationes tantùm, qualiter est prædicatum Min. Ut ergò tandem rectè concludas in Darapti, sic oportet Syllogismum disponere: *Homo est formaliter includens animal: homo est formaliter includens rationale; ergo aliquod formaliter includens rationale, est aliquod includens formaliter animal.* Quæ conclusio vera est in ipso homine, qui formaliter includit utrumque, tanquam geminas sui partes actuales & metaphysicas.

III.

Specifica consistit in Predicato essentiali notabiliter diverso.

XCVII. **O**Missis aliorum circa hanc rem Opinionibus, quæ permultæ sunt, de plano dicit Assertio, Differentiam rerum specificam consistere in notabili quâdam Dissimilitudine sive disconvenientiâ prædicatorum essentialium, quæ Dissimilitudo nobis inno-

innotescat ex diversitate proprietatum & accidentium notabili, prudentum Judicio pensata: sic, ut, specifica rerum diversitas intrinsecè & secundùm se, sit ista dissimilitudo prædicatorum ipsis rebus intrinseca; Diversitas autem illa Proprietatum & Accidentium notabilis, extrinsecè & arguitivè quoad nos. Ita ferè sentiunt Ovied. Arr. Giatt. Compt. & alii. Ratio autem primæ partis est, quòd species metaphysicè confurgat ex genere & differentiâ, aliisvè prædicatis metaphysicè eam componentibus; physicè autem ex partibus essentialibus physicis eam constituentib⁹: ergo quæ in ejusmodi prædicatis aut partibus essentialibus dissimilia sunt, sunt dissimilia secundùm speciem. Quia tamen non quæcunque in his dissimilitudo statim facit differentiam specificam, in sensu, quo communiter à Philosophis hoc nomen usurpari solet (: Est enim aliqua saltem Dissimilitudo inter animal rationale Petri, & animal rationale Pauli; inter corpus, animam, & unionem Petri, & inter corpus, animam & unionem Pauli, neque tamen ideo differre specie dicuntur:) hinc est, quòd non nisi notabilis quædam diversitas in ejusmodi prædicatis ex communi acceptione faciat specie differre. Ratio secundæ partis est, quòd nos ferè essentias rerum non cognoscim⁹ in seipsis, sed per operationes & accidentia earum, quæ se sensibus ingerunt; ideòque cum notabilem in his diversitatem advertimus in unâ & alterâ re, meritò arguimus, istic latere principia notabiliter diversa, tam diversarû operationum

elicitiva, & radices Accidentium. Et quoniam in tanta rerum multitudine & arcanâ virtute, est perdifficile, judicare continuò, an hic & nunc sit tanta diversitas, ut sufficiat ad distinctionem specificam inde arguendam; hinc merito Prudentum Judicio hac in parte statuentum esse dicitur: non quòd in eo consistat specifica differentia secundum se, sed neque quoad nos simpliciter; verum quòd eò porissimum nos oporteat respicere in arguendo, nisi continuo ferè errandi periculo velim⁹ esse obnoxii.

XCVIII. *Neque dicas 1.* Quæcunque differunt specie, sunt in perfectione inæqualia, quæ autem solo numero, sunt in perfectione essentiali æqualia; ergo in hac inæqualitate perfectionis absolutè, & sine restrictione tam molestâ, constitui debet Differentia specifica cum Suar. *Nam Ant.* incertum est in rebus etiam quæ de facto dantur, & à multis cum Oviedo, Ponc. &c. absolutè negatur. Si verò loquimur etiam de possibilibus, cur non possit res duas creare Deus, quæ in prædicatis essentialibus sint notabiliter dissimiles, ideòque differant specie, & tamen in perfectione æquales? sic, ut quantum in unâ perfectione excedit res una, tantum altera excedat in aliâ, atque ita fiat utrimque perfectionis, quæ deest uni & alteri, per aliam æqualem perfecta compensatio? *Neq; dicas 2.* Quæ non conveniunt in una specie infima, illa differunt specie, illâ scilicet, in quâ non conveniunt; sed possunt duo non convenire in una specie infima, esto non sint notabiliter dissimilia in prædicatis essentialibus v. g. cogni-

cognitio Petri clara ut tria de pariete, & cognitio Pauli clara ut tria de eodem pariete, cum simili prorsus modo tendendi, non sunt notabiliter dissimiles in prædicatis essentialibus ; & tamen non conveniunt in una specie infima, quia cognitio illa Petri collocatur sub hac specie, cognitio clara Petri ut tria de pariete, quæ species dein dividi potest in hanc & istam cognitionem Petri claram ut tria de pariete ; in eadem autem specie non est cognitio Pauli clara ut tria de pariete, ut patet ; ergo non in notabili ista dissimilitudine prædicatorum essentialium, sed in ratione quadam ultimò partibili diversa unius & alterius, statui debet differentia rerum specifica, cum de Bened *Nam* cum sit contra communem Philosophorum sensum duas illas cognitiones Petri & Pauli differre specie, idque perat argumentum, vel idè displicet. *Quare dist. Maj.* Illa differunt specie, quæ non conveniunt in una specie infima, ratione prædicati alicujus notabiliter diversi, quod sit in uno, & non in altero *C. nc.* quæ in una specie infima non conveniunt, ratione alicujus solùm termini individualis alterius, cui ex naturà modi hoc illudve essentialiter ac solitariè affixum est *Neg. Maj. & distincta similiter Min. Conseq.* Quòd cognitio ista Petri, & cognitio illa Pauli, non conveniant in una specie infima, ex eo tantùm est, quòd cognitio Petri sit essentialiter affixa Petro, & cognitio Pauli Paulo, qui duo termini merè individuales sunt, solòque numero distincti ; unde si aliunde velex objecto, vel ex modo tendendi, vel

ex

ex alio quovis capite, nulla accedat notabilis diversitas, cognitiones istæ, licet non conveniant in una specie infima, solo numero differrent. Certè communis est Philosophorum persuasio, homines, qui de facto dantur, solo numero differre, quod in hac Sententia verum non esset, ratione Unionis essentialis in singulis, ab unione cujuscvis alterius specie diversæ, utpotè nequaquam collocabilis cum ullâ aliarum sub specie eadem ultimò partibili.

IV.

Principium Individuationis intrinsecum non est ordo ad materiam vel quantitatem, sed ipsa predicata rei, similia predicatis alterius.

XCIX. **S**unt & variæ circa materiam hanc Opiniones : Quidam enim cum Vasq. pro intrinseco Individuationis principio statuunt Entitatem rei, prout respicit has numero causas & collectionem accidentium : Sed cur nequeat eadem numero res, quæ modò ab his causis, & in his circumstantiis producta est, fuisse à causis aliis, inque aliis circumstantiis producta. An non specialis est gratia, secundùm Theol. facta Christi progenitoribus, quòd ex ipsis potiùs, quàm aliis ipse processerit ? An non acceleratio adventûs Christi, locus, aliæque circumstantiæ in gratiis singularibus numerantur ? Et cur, si aliter fieri non poterat ? aut fortè alius fuisset Christus, si in aliis circumstantiis venisset ? Fundamento id caret. Alii cum Racone assignant rem, prout illa concipitur in ordine ad
suam

suam existentiam : Sed non est existentia, formaliter reddere rem individua, at præcisè existentem. Alii cum Aureolo volunt, rem conceptam in ordine ad formam suam : Sed unde tunc individua res est, quæ neque forma est, neque formam habet ? & quid ad Individuationem faciet, quòd res in ordine ad formam concipiatur ? Celebrior his est Sententia Thomist. contra quos præcipuè procedit hæc Assertio : Statuunt Illi principium Individuationis intrinsicum, ordinem quendam rei, quæ individua est, ad materiam aut quantitatem ; & quidem nonnulli Veteres ad nudam materiam ; alii, & ipsi Veteres, ad nudam quantitatem ; hodiè verò communiùs ad materiam sigillatam quantitate, cæterisque accidentibus. Et hoc quidem de rebus solùm substantialibus, & habentibus quendam ordinem ad materiam & quantitatem, volunt intelligi ; accidentia autem individuari dicunt per ordinem ad subiecta sua, sive materialia sint, sive spiritualia. Super sunt ergo solæ Substantiæ spirituales completæ, quæ quòd neque ad materiam vel quantitatem, neque ad ullum subiectum dicant ordinem vel respectû, cùm non sit alius effugii locus, dicuntur ipsis solo numero immultiplicabiles, etiam divinitùs. Ex adverso Nos contendimus, hinc minimè petendam esse intrinsicam rerum Individuationem, sed ab ipsis prædicatis rei, prout sunt hæc, habentque, vel habere possunt similia in re altera.

C. Ratio autem primæ partis negantis est : Imprimis, quòd dicere cogantur, implicare duas

duas Substantias completas spirituales solo numero distinctas, cum principio Individuationis omni destituantur ; quod videtur præjudicare Divinæ Potentiæ, quasi illa in uno duntaxat Angelo intra illam speciem foret exhausta. Certè contrarium docuere plures è Thom. quos ignorare non possunt hodierni. Deinde si substantiæ materiales individuantur per ordinem ad materiam & quantitatem; per quid ergo individuatur ipsa materia & quantitas? Certè vel hìc ire debent in circulum, & dicere, quòd quantitas individuatur per ordinem ad materiam, & vicissim materia per ordinem ad quantitatem ; vel alterutram designare, quæ individuatur seipsà ; quod si absurdum non putant in una re, cur in quâvis aliâ ? Denique si formæ substantiales individuantur per ordinem ad materiam, accidentales verò per ordinem ad sua subjecta; ergo ubi est alia materia, vel subjectum formæ, erit alia individuatio, & per consequens alia res sive forma, quia ordo ille & respectus est rei individuat essentialis, etiam secundum Thom. Jam verò, quàm hoc falsum sit, adverte ex seqq. 1. Omnes formæ respiciunt eandem materiam, est enim eadem materia perinde capax omnium ; an omnes ideò sunt una eademque forma ? Sed scio quid dicas : respiciunt quidem omnes eandem materiam, sed non eodem modo sigillatam quantitate aliisque accidentibus. At nunquid potest Deus inducere formam in materiã, omni quantitate & accidentibus, saltem absolutis, imò & plerisque modalibus, exceptis solum

solūm, à quibus nulla res absolvi potest, evacuatum? & sicut formam unam, ita & alteram, saltem successivè & divisim? non negas, ut credo: Et quid si relicta eadem materiâ, quantitate, cæterisque accidentibus, saltem absolutis, priori formæ destructæ novam superinduceret Deus? 2. Eadem numero anima rationalis est successivè in diversa materia, eaque sigillata quantitate & accidentibus multam diversis, ut patet in homine eodem puero, & viro. Et quomodo eadem anima cum alio principio Individuationis, & ordine ad aliam materiam, aliterque sigillatam? 3. Eadem numero albedo, priusquam erat in hac charta, esse poterat in alio subjecto: quid enim obstarè dicent, nisi petant principium? Et si naturaliter fieri potuisse negant, quidni divinitus? an ergo hæc albedo potuit unquam esse alia à se ipsâ? 4. Possunt plura accidentia specie distincta esse in eodem subjecto, ut albedo & dulcedo in eadem parte lactis: quomodo igitur ordo ad subjectum est principium Individuationis? an albedo & dulcedo habent eandem individuationem? aut solo numero distinguuntur, ex eo, quòd dicunt ordinem ad idem subjectum? Sanè non video, quâ ratione probentur ista Intellectui, ex æquo cuncta pensanti.

CI. Ratio secundæ partis affirmantis est, quòd sicut quævis res per suammet entitatem est res, sive aliquid; ita per hanc suam entitatem est hæc res, sive hoc aliquid. Et sicut *Num. 97.* dixi, rem unam per hoc distingui specie ab alia, quòd ejus prædicata sint notabiliter dissimilia prædi-

prædicatis alterius; ita per hoc res una distinguetur ab alia solo numero, quòd talia habeat prædicata, quibus sint, aut certè possint esse similia alterius: Individuatio enim ex communi acceptione Philosophorum importat non repugnantiam ad habendum aliud simile; quòd si repugnet, ut contingit in Deo, erit quidem res talis singularis, sed non individua, nisi laxius hoc nomen acceperis. Accedit pro hac parte authoritas D. Th. qui i. p. q. 29. a. 1. O. *Substantiam ait individuari per se ipsam*: Et alibi docet, *Formas immateriales separatas per se subsistentes, etiam per se ipsas esse individas*. Et universim Individuum definit: *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*: quòd utique rei per suammet entitatem competit, nec materiali tantum, sed etiam spirituali, tam completæ, quàm incompletæ, tam substantiali, quàm accidentali. Unde si alibi quandoque idem S. Doctor favorabiliter loqui videatur pro Thomistis, intelligi debet, quòd ordo talis ad materiam vel quantitatem in rebus sensibilibus, sit principium aliquod Individuationis extrinsecum, ex quo nos distinctionem individuorum arguamus. Quòd etiam respexit Porphyrius, cum dixit, Individuum esse, cujus collectio accidentium in alio nullo reperitur. Pari modo intelligendus est, cum S. Th. negat principium individuationis in Angelis, aliisque substantiis spiritualibus: quòd nempe neget illud extrinsecum. Cum verò ex negato Individuationis principio in Angelis, infert, eos non esse solo numero multiplicabiles, dicend⁹ est

est id rectè inferre, quantum nobis per rationes, à rebus hisce sensibilibus petitas, licet arguere; non absolute, & quacunque demum ratione spectata, etiam illà, quæ petitur à Divina Potentia.

III. Dices 1. Per hoc res formaliter individuatur, per quod fit discernibilis ab alia re simili secundum naturam: Sed hoc fit per ordinem ad materiam vel subjectum signatum certis accidentibus, quæ rei alteri non competant: ergo. *R. dist. Maj.* Per hoc formaliter individuatur res extrinsecè, & quoad nos *conc.* Intrinsecè, & quoad se *neg. Maj.* Nos plerumq; res à se invicem discernimus per accidentia & subjecta, quia rerum essentias intuitivè non cognoscimus. Aliter possunt, qui ipsa rerum prædicata, sicut in se sunt, intimè perspiciunt. Quod an possit Angelus in hisce rebus sublunariis, etsi nullis essent accidentibus vestitæ, hic non vacat examinare, satis est, posse Deum.

Dices 2. Numerica Differentia passim vocatur materialis: ergo desumitur per ordinem ad materiam: Sicut Differentia specifica passim vocatur formalis, desumiturque à forma. *R. Neg. seq.* Differentia numerica passim vocatur materialis, non quòd desumatur à materia, sed quòd sit propria Individuo, quod in linea prædicamentali est ultimum subjectum, sive materia logica: Sicut in physicis ultimum subjectum est materia physica. Sic etiam specifica vocatur formalis, non quòd desumatur à forma, sed quòd sit propria speciei, quæ est prædicatum superius Individuo, & forma quædam illius

Logica. K logi-

logica, quatenus de Individuo tanquam subje-
cto prædicatur.

V.

*Potest ab omnibus Individuis abstrahi ratio
communis & univoca Individui.*

CIII Individuum aliud est physicum, &
solet definiri ex D. Th. communi-

ter: *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio.*
Aliud logicum, & definitur à Porphyro. *Quo-
modo immediate subicitur Speciei, diciturq; subijci-
bile; vel: quod de uno tantum prædicari potest.*
diciturque prædicabile. Ab his abstrahi potest
ratio quædam communis Individuo propria
V. G. à physicis omnibus ista: *Indivisum in se
& divisum à quolibet alio.* A logicis autem hæc
De uno tantum prædicabile; Ab utrisq; pariter
illa: *Individuum.* Cùm enim talis aliæve ratio
perinde reperiatur in singulis, jam Intellectum
habet sufficiens fundamentum sub tali ratione
cuncta confuse cognoscendi: Et quoniam
rationem istam æqualiter cuncta participant
(: æquè enim hoc Individuum est individuum
est indivisum in se, est de uno tantum prædica-
bile, quàm aliud:) hinc necesse est, ut talis ratio
communis abstracta univocè conveniat singu-
lis; modò Conceptus Entis, & per consequens
profluentis ex eo Unitatis & Individuationis,
aliunde non sit analogus.

CIV. *Neque dicas* I. Ratio individualis est
ultima ratio disconveniendi: ergo nihil habet
commune una cum aliâ, sic enim esset ratio
conveniendi; ergo non potest ab Individuis
abstra-

abstrahi ratio communis individualis. *Nam eadem individuatō, clarè & adæquatè cognita, ãest Individuatō Petri, est ratio ultima disconvieniendi, nihilque habet commune cum aliã Individuatōne similiter clarè & adæquatè cognitã, ut nempè est Individuatō Pauli. Si verò cognoscitur confusè & inadæquatè, ùt præcisè est Individuatō, jam est ratio conveniendi, & illud habet commune cum Individuatōne Pauli, quòd & hæc sit Individuatō. Hinc ergo Intellectus arripit fundamentum ab illis abstrahendi rationem Individuatōnis ùt sic; quòd si facit, jam hæc utraq; cæteræque omnes in hac ratione communi univocè conveniunt. Neque dicas 2. Quoties fit abstractio, assignari debet aliquid, quòd abstrahitur, & attingitur formaliter ex parte actûs, & aliquid à quo abstrahitur, quòdque ex parte actûs relinquitur inattaçtum: Quid ergo est hic utrumque illud? *Nam dico: illud, quòd abstrahitur, esse rationem Individuatōnis, quam formaliter actus attingit; id verò, à quo abstrahitur, esse hæcçitatem, sive talitatem Individuatōnis, V. G. Petreitàtem, Pauleitàtem &c. quæ formaliter relinquit actus inattaçta. Quòd si quæras: An ergo hæcçitas ista, sive talitas Individuatōnis sit formaliter Individuatō, an non? Dico: Non esse formaliter, planè ad eum modum, quò suprà dixi Num. 95. de Differentia. Si porrò urges dicendo: posse similiter ab hac & ista hæcçitate abstrahi rationè communem hæcçitatis ùt sic, eò quòd omnes istæ hæcçitates in eo sint similes, quòd sint hæcçitas**

Individuationis. *Dico*: Te omnino id posse
 idque non tantum semel, sed iterum hæc ceita-
 rem hæc ceitatis, & quoties deinde placuerit
 ejusmodi abstractiones repetere; modò salve
 cerebro tuo id possis, hoc enim idè lãdere
 unicum hac in parte absurdum foret. *Neque ad Pro-*
dicas 3. Si ratio illa communis Individui sit uni-
 voca, erit universalis, adeòque individuum erit
 universale, quod est absolum. *Nam* Indivi-
 dum non unum clarè, sed multa Individua
 confuse cognita sub aliquã ratione communi
 quæ signatè est individua, erunt exercitè Uni-
 versale, quod non est magis absolum, quàm
 quòd multi singulares homines, si confuse cog-
 noscuntur sub una ratione hominis, vi talis
 confusæ cognitionis fiant Universale. *Si qua-*
ris: ad quam ergo de quinque speciebus Uni-
 versalis, hoc Universale reduci debeat? *Dico*:
 id non satis inter Authores convenire. Si ta-
 men intelligas de ratione Individui abstractã
 ab individuis physicis, reduci potest ad pro-
 prium; unitas enim, cum quã eadem est Indi-
 viduatio, est proprietas metaphysicè profluens
 ab essentia cujusvis Entis. Si verò intelligas
 de ratione Individui abstractã ab Individuis
 logicis, reducetur ad Accidens; cum Individua
 logica fiant per cognitionem ipsis accidentaliter
 supervenientem. Quòd si denique intel-
 ligas de ratione Individui abstractã ab utrif-
 que, partim ad Proprium, partim ad Accidens
 pertinebit; potest enim vi ejusdem abstrac-
 tionis Universale fieri multiplex scil. respectivè
 ad diversa inferiora, ut dictum *Num. 81.*

ASSE-

ASSERTIO VI. LOGICALIS.

Ens univocè ad Prædicamenta descendit, estque verum Genus respectu Dei & Creature, Substantiæ & Accidentis. Substantia est Ens per se ; Accidentis Ens in alio. Relatio est sola adequata ratio fundandi ; qua si soli Fundamento essentialis est, transcendentalis : si non, prædicamentalis erit.

I.

Ens univocè ad Prædicamenta descendit, estque verum Genus respectu Dei & Creature, Substantiæ & Accidentis.

CV. **S**unt, qui Conceptum Entis præcisum, qui est, aptum existere, vel habere non repugnantiam ad esse, volunt analogum propter dependentiam Creaturæ à Deo, Accidentis à Substantia : Sunt, qui volunt analogum propter formalem ejus transcendentiam, eò quòd in quovis Conceptu cujusvis rei formaliter, saltem implicite, velint imbibi rationem Entis, ita, ut si evolvatur, tandem oporteat ad rationem Entis pervenire. Sunt qui negant utrumque ; imò sunt, qui datâ formali Entis transcendentiam : adhuc illius Univocationem tuentur. Et cum his postremis facimus in præsentem, in quo priusquam stabilire mentem nostram satis valeamus, oportet priores istos antè refellere.

K ;

CVI.

CVI. I. Itaque rationem Entis non esse analogam propter dependentiam, ex eo evincuto, quòd illa dependentia creaturæ à Deo Accidentis à Substantia, non reluceat in Conceptu confuso Entis, ut qui præcisè dicit, possit existere ; nihil autem potest Conceptum aliumquem facere analogum, quod in ipso non relucet, ne implicitè quidem. Deinde si ratio entis præcisa, ideò esset analoga, pari Jure ratio substantiæ diceretur analoga, prout communis est Deo & Creaturæ, cum creatura sit Substantia dependens à Deo. Item ratio Substantiæ incompletæ, prout communis est materiæ & formæ, cum & forma dependeat à materia velut subjecto. Sicut ergo in illis dicitur, quòd hæc Dependens non exprimaturnomine Substantiæ, aut Substantiæ incompletæ, sed tantum nomine Differentiarum : ita prorsus in præsentia. *Nec refert, quòd Philosophus 7. Metaph. 4. dicat: Ens habere se, sicut omne salubre ad sanitatem.* Nam ex eo nunquam evincetur Entis Analogia propter Dependens. Deinde mox idem Philosophus subjungit : *Sed hæc quidem quomodocunq, dicere quis velit, nihil differt.* Ex quibus verbis colligo, Philosophum hac in re fuisse dubium, & nobis reliquisse libertatem dicendi, quod luberet. Quòd si tamen contendas, Arist. prætulisse Analogiam, dici potest accepisse ibi nomen Entis pressius, pro eo, quod Ens est sine ordine ad aliud, vel sine indigentia alterius. Si verò placet ratione contendere, ac dicere, quòd Accidentis non sit simpliciter Ens, sed cum addito, *Entis Ens ; & Crea-*

Crea-

Creatura, non Ens simpliciter, sed cum addito, per participationem: vel etiam quòd ratio Entis sit propriè in Deo, & suo modo in Substantia; in Creatura verò & Accidete solum impropiè; atque ita in priori sensu facere Ens analogum Analogiâ attributionis, in posteriorè Analogiâ proportionis. *Dico ad 1.* & Creaturam, & Accidens esse simpliciter Ens, quia simpliciter possunt existere; quòd autem Creatura, cum est, sit dependenter à Deo, & Accidens dependenter à Substantia, non exprimi præcisè per Ens, sed per rationem Entis contractam, quæ nequeat impedire Univocationem Entis ut sic. *Ad 2. dico:* Rationem Entis què propriè convenire Creaturæ & Accidenti, quàm Deo & Substantia, ut quæ perinde ac omninò propriè possunt existere, etsi, cum sint, sint dependenter ab illis, non quidem præcisè ex ratione Entis, sed Entis ab & in alio.

CVII. 2. Ratio Entis præcisà non est analogà propter transcendentiam: Nam Ens non est formaliter transcendens suas Differentias, sive non imbibit eas formaliter: 1. Quia differentia, si considerentur præcisè ut Differentiæ contrahentes Ens, plus formaliter non dicunt, quàm independentiam V. G. aut Dependenciam à subjecto, h. e. non indigentiam, aut indigentiam alterius tanquam subjecti, qui Conceptus quantumvis evolvantur, nunquam necessariò devenietur ad Ens; imò tali conceptu admisso, adhuc dubitari poterit, an sit aliquid possibile, an non? Sicut admisso Conceptu objectivo Ascitatis, adhuc negant Athei, cum

esse quid possibile ; & admisso Conceptu objetivo aietatis, adhuc Atomistæ negant accidenti physica, quæ alteri velut subjecto inhzereant. 2. Quia Differentiæ formaliter contrahunt Ens, sicut rationale & irrationale formaliter contrahunt animal ; debet autem Conceptus differentialis, & contractivus formaliter aliquid superaddere Conceptui generico, quem contrahit, & quidem tale, quod formaliter non sit ipse conceptus genericus, sed aliud restringens ipsum, secundum dicta *Num. 94.* 3. Quia si Perseitas V. G. est formaliter Ens, erit formaliter tota Substantia, ut quæ nihil est præter Ens per se, adeoque Perseitas non erit solum Differentia, sed tota Species. 4. Quia si Perseitas est formaliter Ens, jam non posset concipi Substantia, ut præcisè contrà distinguitur ab Accidente, quia sub quavis ratione, etiam differentiali, involveret aliquid ipsi cum Accidente commune. De Accidente prorsus idem est è converso.

CVIII. Sed his non obstantibus, tria potissimum ab Adversariis obmoveri possunt : *Primum* est : quod Perseitas alizque Entis differentiæ sint Differentiæ Entis realis, ergo formaliter reales : Cùm videatur esse inconceptibile, quod Ens reale contrahatur per Differentiam non realem. *Sed ad hoc est Respons.* Quod ad Differentiam Entis realis satis est, si ipsa realiter sit aliquid reale, esto non sit formaliter & sub omni Conceptu. Et quamvis inconceptibile sit, quod aliquid sit Differentia Entis realis, & ipsum non sit reale, si tò *Non accipiatur*

piatur aduſivè, removens omnem ab eo realitatem, & formaliter, & realiter: Secùs tamen eſt, ſi accipiatur præciſivè, ita ut verè quidem ſit aliquid reale, ſed per Conceptum ab ejus realitate præſcindatur. Quinimò ſi daretur, quòd Perſeitas ſub hoc Conceptu, Differentiæ Entis realis, ſit formaliter Ens, & aliquid reale, adhuc non ſequeretur, fore ſimiliter ſub quovis alio Conceptu, V. G. independentiæ à ſubjecto. *Quòd ſurgens dicendo*: Quòd Perſeitas, ſub quocunq; demum Conceptu veniat, appareat non involvere contradictoria, quòd eſt eſſe aliquid reale. *Dico*: Id verum non eſſe: quid enim vetat, me cognoſcere rem, quæ verè contradictoria non involvit, abſque eo, quòd formaliter & diſtinctè cognoſcam, eam contradictoria non involvere? Si enim poſſum à duobus etiam contradictoriè oppoſitis conceptu præſcindere, quantò magis ab illo? *Surgens iterum*: Eſt demonſtrabile, quòd Perſeitas non pugnet cum Ente, eſt ergo formaliter Ens. *Ego repono*: Eſt demonſtrabile, quòd rationale non pugnet cum animali; an idèò ſtatim rationale eſt formaliter animal? Negabis, ùt credo. *Alterum eſt*: Quòd rationale, quæ eſt mediata ſolùm Entis Differentia, videatur eſſe formaliter aliquid contradiditinctum ab impoſſibili, quia principium eſt, potens producere ratiocinationem; cui enim ab intrinſeco repugnat eſſe, illi ab intrinſeco repugnat omnis virtus productiva; erunt ergo à fortiori aliquid tale, etiam formaliter, ipſæ Entis Differentiæ immediatæ. *Sed ad hoc etiam eſt Reſponſ.*

Quòd si rationale accipias præcisè, ut est **Differ**
rentia, sit principium potens producere ratio
 cinationem pari modo præcisè & differentia
 liter acceptam; cùm ergo ratiocinatio sic præ
 cisè accepta non sit formaliter Ens, vel aliquid
 contradistinctum ab impossibili, sed tantùm
 realiter, ut sequitur ex dictis *Num. 94. & 95.*
 necesse non erit, ut rationale, tanquam formale
 principium ratiocinationis ita differentialiter
 accepta, sit formaliter Ens, vel aliquid contra
 distinctum ab impossibili; sed satis erit, modò
 sit realiter. Unde jam, quod dicebatur, illi ab
 intrinseco repugnare vis omnis productiva,
 cui ab intrinseco repugnat esse, intelligendum
 est, de virtute productiva Entis realis, si ab in
 trinseco repugnet esse realiter. Hoc tamen
 non obstante, quod non est principium forma
 liter reale, ab illo potest intelligi procedere
 operatio, quæ non est formaliter realis, esto in
 sensu reali utrumque verè sit reale: Sicut à
 Chymera matre potest intelligi procedere
 chymera soboles, esto neutrum verè sit aliquid
 reale. *Tertium* est: quòd saltem Aseitas videat
 tur esse formaliter Ens, quia ex ipsa legitime
 deducitur absoluta essendi necessitas, ut nõ
 runt Theologi. *Sed ad hoc est Respons.* Quòd
 etiam ex rationali legitime deducatur animal;
 quomodo enim discurret aliquid dependenter
 à sensibus, nisi sentiat? An ideò rationale est
 formaliter animal? Ita & in præsentì. *Si urges,*
dicendo: quòd saltem Abalietas, quæ est produ
 cibilitas ab alio, nequeat formaliter ab Ente
 præscindi, cùm Ens & producibile saltem in
 crea-

creatisidem sint. *Dico*: quòd producibilitas vera & realis, nequeat formaliter ab Ente præcindi; sed cum ab alietas veram ac realem producibilitatem ab alio formaliter non importet, ab Ente præcindi potest; vel quod idem est, alietas, quæ signatè est producibilitas ab alio, non dicit formaliter, sed etiam exercitè verèque talem esse: Sicut producibilitas cuiusvis à quovis alio, signatè quidem dicit producibilitatem à quovis alio, sed an exercitè, verèque realis sit, non exprimit, quin & esse talem, etiam conceptu illo objectivo signatè admissio, multi negant.

CIX. 3. Si detur Entis ista formalis transcendentia, hæc tamen nequit Entis Univocationem impedire: Nam ex illa tantum sequi potest, quòd Ens ut sic, cum formaliter importet omne Ens tantum sub nomine Entis expressum, includeret formaliter suas Differentias, non sub nomine Differentiarum V. G. Perseitatis, aut in alietatis, qualiter important diversitatem; sed sub nomine Entis præcisè, quo nomine nulla venit diversitas; atque ita stare cum hac hypothesi, quòd in Conceptu Entis præcisò nulla formaliter appareret ratio diversitatis, sed ea solum, quæ participatur æqualiter ab omnibus; & per consequens totus ille Conceptus Entis præcisus maneret univocus. Hoc unum contra movere posses, querendo: utrum ergo Differentiæ quæ tales, sive ut importantes istam diversitatem, in illa hypothesi forent aliquid plus, quàm ens, vel nihil, idque formaliter? Si aliquid, de isto aliquo,
cum

cum ex supposito sit formaliter Ens, redi-
 quæstio, an sit quid plus quam ens? & sic in infi-
 nitum: Si nihil, totum hoc, quod dicunt Diffe-
 rentia ut tales, sive ut importantes diversita-
 tem, venit formaliter nomine Entis, atque ita
 Ens ut sic formaliter imbibit Differentias etiam
 ut tales, & diversificantes, & per consequens
 nequit esse univocum. *Ad hoc argum.* duplex
 est tradendi via: *Prima* cum Ovied. tenet, Diffe-
 rentias quæ tales nihil Enti superaddere ex
 parte rei conceptæ, sed esse Conceptus tantum
 clariores Entis, quia secernunt non solum ab
 omni non Ente, sed etiam ab Ente, V.G. Per-
 seitas ab Accidente. Cum ergo Conceptus
 Entis præcisus ita clarus non sit, ut qui solum
 distinguit ab omni non Ente; hinc ex parte
 ipsius actus formaliter non exprimuntur dif-
 ferentia ut tales & diversificantes; ad hoc
 enim opus esset Conceptu Entis clariore; &
 per consequens manet Conceptus istius Uni-
 vocatio. *Responsio* hæc perdifficilis est, in Sen-
 tentia Præcipientium objectivè, ut qui con-
 tinuò prædicatum unum intentionaliter ab
 alio separatum in suis præcisionibus habere
 debent: Sed apud præcipientes formaliter,
 qui sæpè non requirunt novam & novam sem-
 per formalitatem ex parte rei conceptæ, quæ
 respondeat Conceptui, sed ejusdem forma-
 litatis Conceptu minùs & magis claro quan-
 doque contenti sunt, potest plausibiliter susti-
 neri. *Alter* dicit cum Semery, Differen-
 tias quæ tales ex parte rei conceptæ superad-
 dere Enti modificationem Entis, eò quòd, licet
 imbi.

rationem Entis. ut
 inter te aliquatenus
 vultu possint, non ra-
 pariformiter includunt
 modi, hoc est, talis E-
 quæ de modificatione n-
 habet tibi quæstione
 semper eam dicat esse fo-
 can tantum, & illud p-
 Entis, sed non tantum,
 si jam veres, dicend-
 etiam quæ tales sunt
 vicissim Ens est Diffe-
 renter, jam præcisio da-
 non mutua, quæ
 distinctio non mu-
 a ista hypothesi dar-
 non mutua; & qu-
 secundum Conce-
 e ejusdem formalit-
 eam unius formalit-
 sua modification-
 cationis ab Ente
 cationis & Distinctio
 quod possit Conce-
 tantem alterius,
 amplius, quod
 eam principia Ovi-
 quod possit actu-
 eam exprimere
 eam exprimat
 est in Distin-

inhibent formaliter rationem Entis, ut supponitur, tamen inter se aliquatenus differant, & mutuò distingui possint, non ratione Entis, quam pariformiter includunt omnes, sed ratione modi, hoc est, talis Entis. Quod idem respondet de modificatione modificationis, quoties lubet tibi quæstionem instaurare, sic ut semper eam dicat esse formaliter Ens, sed non tantum, & illud plus iterum formaliter Ens, sed non tantum, & sic deinceps. *Quod si jam urges,* dicendo: Si Differentiæ Entis etiam quæ tales sunt formaliter Ens, & non vicissim Ens est Differentiæ, quæ tales formaliter, jam præcisio dabitur & distinctio rationis non mutua, quæ perinde implicat, quàm distinctio non mutua realis. *Dico:* Quòd in data hypothese daretur utique præcisio formalis non mutua; & quidem juxta Ovied. tantum secundum Conceptus minus magisque claros ejusdem formalitatis. Juxta Semery verò etiam unius formalitatis ab alia, Entis scilicet à sua modificatione, sed non vicissim modificationis ab Ente. Fundatur autem ista præcisio & Distinctio rationis non mutua in eo, quòd possit Conceptus unus habere totam claritatem alterius, & aliquid claritatis etiam amplius, quod non habebat alter, secundum principia Oviedi; vel secundum Semery, quòd possit actus formaliter & distinctè geminam exprimere formalitatem, cum alter earum exprimat duntaxat unam. Aliud est in Distinctione reali, quæ

quæ necessariò semper est mutua, ne idem distinguatur realiter à seipso convincatur. Porro exempla hujus præcisionis non mutua adferuntur Semery, albedinem & colorem, hominem & animal, possuntque fieri similia in quovis genere, respectivè ad speciem ipsi subjectam. Quod etiam adducit veterem Divisionem Differentiarum, in imbibentes & extrahentes, de quibus Ipse fusiùs videri potest.

CX. Atque ex his jam stabilita manet Entis Univocatio, ex qua per se consequitur postremæ partis ratio, quod nempe sit verum Genus respectu Dei & Creaturæ, Substantiæ & Accidentis. Nam Genus est, quod de multis univocè in quid incompletè prædicari potest, sive (ut alii loquuntur) per modum partis essentialis materialis; quæ omnia Enti respectivè ad illa, suppositâ univocatione, ad amulsi conveniunt, ut patebit examinanti. Tantum contra obtendi potest autoritas duorum Philosophiæ Principum: nam Arist. 3. metaph. 10. sic loquitur: *Non est autem possibile, neque unum Entium esse Genus, neque ipsum Ens; necesse est enim, cujusque Generis Differentias esse, & unamquamque unam esse.* Et paulò post: *Quare si unum, vel Ens Genus est, nulla Differentia vel unum, vel Ens erit.* Quibus videtur innuere, non modò Ens Genus non esse, sed & ejus rationem reddere, Entis transcendentiam. D. Th. quoque 1. P. Q. 3. A. 5. O. Philosophum explicans ita habet: *Ostendit Philosophus, quòd Ens non potest esse Genus alicujus; omne enim Genus habet Differentias, quæ sunt extra essentiam*

Gene-

Generis; nulla autem Differentia potest inveniri, quæ sit extra Ens, quia non. Ens non potest esse Differentia. Sed imprimis ad authoritatem Arist. adderi potest, Eum hac in parte reliquisse nobis libertatem dicendi, quod luberet, ut colligitur ex verbis ejus Num. 106. citatis. Deinde intelligi potest, negasse Enti rationem Generis prædicamentalis, neque plus probat illius ratio. Quo non obstante Genus esse potest transcendente, nimirum in sensu reali, non formali. Pari modo intelligi potest D. Th. Quod si quibusdam, ut fiet, minus placuerit, dico, quod esto S. Doctoris authoritatem multum veneror, & vel idè Sententiam oppositam valde probabilem censeo, tamen hac in parte magis Ductum Rationis sequi placeat.

II.

Substantia est Ens per se, Accidens Ens in alio.

CXI. **U** Traque Definitio communis est, sola in eo stat difficultas, quid sit Ens per se, & in alio. In quo præteritis aliorum Opinionibus hodie exoletis, quas videre qui vult, potest apud Arriag. Disp. 4. Metaph. Duas adduco nunc celebriores, unam ipsius Arriagæ, alteram Oviedi. Et quidem Oviedo hoc dicit esse Ens per se, quod à natura primario, & propter se intenditur, h. e. non propter aliud à se adæquatè distinctum. Quale imprimis est omnis Substantia completa, quæ propter seipsam, & non propter aliud intenditur. Deinde omnis incompleta, quæ intenditur propter totum substantiale, à quo solum distingui-

distinguitur inadæquatè ; cùm è contrà accidentia non intendantur propter accidental totum, sed vel propter subjectum, ut illud orient ac perficiant , vel propter formam substantialem , ad quam disponunt , ab utroque autem distinguantur adæquatè. Arr. verò hoc vult esse Ens per se, quod intrinsecè constitui primam rem. h. e. primum & radicale principium operationum connaturaliter , & stabiliter convenientium toti : Cujusmodi sunt imprimis omnes Substantiæ completæ, tam simplices quàm compositæ, quæ per se ipsæ sunt ejusmodi prima res & principium. Deinde Materia, Forma, & Unio substantialis (: imò & Subsistentia apud eos, quibus positiva est :) quia intrinsecè constituunt complentque primò tale principium. Quòd si jam quæris ex me, utri ex his opinioni adhæream ? Ut fatear ingenuè, judico priorem Sententiam Oviedi se solâ non exhaurire difficultatem, nisi ab hac posteriori Arriagæ fulciatur. Si enim quæro ex Ovied, cur potius forma ligni, quæ dicitur esse Substantia, intendatur propter totum lignum, à quo tantùm inadæquatè distinguitur, quàm albedo propter totum album, à quo similiter inadæquatè tantùm distinguitur; adeoque & ipsa non sit Substantia ? Quid aliud dicet, nisi quia totum lignum intenditur propter se, adeoque & forma ligni, propter totum lignum intenta ? Cùm è contrà totum album non intendatur propter se, sed propter perfectionem totius substantialis, adeoque & albedo, quæ totius albi forma est. Verùm si repeto

Quæstio-

Questionem, cur potius totum lignum intendatur propter se, & non similiter totum album? Jam deficit Ovied. succeditque Arr. rationem dans, quod totum lignum sit quaedam prima res, & principium connaturale operationum talitoti convenientium, atque ita adimpleat finem naturæ, quæ tota est propter operari: Cùm è contra totum album non sit quaedam prima res, sed aliud prius, idque completum, præsupponat, neque constituat intrinsecè illud primum, connaturale principium operationum totius.

CXII. Nihilominus Oppones 1. Sententia hæc etiam sic suffulta non satisfacit, quia excludit à ratione Substantiæ & Entis per se, imprimis materiam, ut quæ non est operativa; deinde Subsistentiam (: si quid positivum est :) cujus solum est complere naturam in ratione suppositi; ac denique Unionem omnem, cujus tantum est unire formam materiæ. *Sed. N. 46.* Et si enim hæc omnia per se immediatè operativa non sint, constituunt tamen intrinsecè totum radicale principium operandi, primamque rem, idque naturaliter ultimò complere, quod satis est ad Substantiam. Quod si hoc idem te dicturum esse contendis de Ubicatione & Duratione, sine quibus res prima & principium illud radicale nequeat existere: *Dico*: Te immeritò id contendere, cùm secundum omnes Accidentia hæc modalia non constituent intrinsecè primam rem & principium illud radicale operandi, sed conditiones sint extrinsecè tantum & ad existendum & ad

Logica. L *opo*

operandum requisita. *Si urges*: Tenere saltem in quavis Unione, ut quæ intendatur propter totum, quod ipsa intrinsecè velut pars constituit: Et hoc universaliter loquendo falsum est; omnis enim unio intenditur propter id, propter quod intenditur forma, quam ipsa uniuersum subiecto: Cum ergo forma accidentalis non intendatur ultimè propter totum accidentale secundum dicta, neque intendatur unio talem formam uniuersum subiecto, sed sicut illa; ita & hæc ulterius aliò ordinabitur à natura.

CXIII. *Oppones 2.* Actio productiva termini substantialis, est & ipsa substantialis & tamen intenditur propter aliquid à se adæquate distinctum, nempe propter terminum; neque constituit primam rem; quia est vis quædam & tendentia agentis ad illam. *Resp.* Quòd actio talis non sit entitativè in se substantialis, sed tantum terminativè, quatenus terminatur ad Substantiam, quia per ipsam producit. *Si dicis*: Ponamus ergo actionem non terminativè tantum, sed & entitativè in se substantialem, illa nihilominus habebit utrumque illud, adeòque Definitio data Substantiæ adhuc non subsistit. *Dico*: Quòd omnis actio creata, & à principio agente terminòque realiter distincta, sit de Prædicamento actionis quòd unum est de novem Prædicamentis Accidentis. Frustra ergo ponis actionem ejusmodi substantialem, cujus suppositum negatur, idq

LOGICALIS.

alia substantialis: intenditur propter id, et forma, quam unire unionis est; cum ergo propter se, & substantiam, ut formam accidentalis; necessè est duplicem distinctionem intenditur propter causas ponere. Hæc autem nec ipsa principium radicis terminus mediâ substantiæ & si propter eam propter aliquod

3. Quid si nullam competeret. Dari ergo existenti modo. Quid substantia essentia, et si eius difficultas, quòd radicale modali. quibus a creati

alia accidentalis sit, alia substantialis : Nam Unio semper intenditur propter id, propter quod intenditur forma, quam unire subjecto minus unicum Unionis est ; cum ergo forma alia intendatur propter se, & substantialis sit, alia propter subjectum, aut formam substantialem, sitque accidentalis ; necesse est unionem pari modo esse duplicem distinguendam : At actio semper intenditur propter terminum, quem extra causas ponere munus unicum actionis est ; hunc autem nec ipsa constituit intrinsecè, neque principium radicale operandi, quod ipse terminus mediâ suâ unione facit cum subjecto ; & si propter eum intenditur, semper intenditur propter aliquid adæquatè à se distinctum.

CXIV. *Oppones 3.* Quid si ergo Deus produceret Substantiam nullatenus operativam ? huic certè non competeret allata Entis per se explicatio ex Arr. Dari ergo debet alia cuius Substantiæ, non existenti modò, sed & possibili conveniens. *Sed 3.* Quidquid sit de possibilitate talis Substantiæ essentialiter otiosæ, quam fortè negaret alius, etsi rationem à priori impossibilitatis ejus difficulter redderet : Dici imprimis potest, quòd talis Substantia adhuc foret primum radicale principium suorum accidentium modalium, V.G. Durationis & Ubicationis, à quibus absolvi non possent. Aut si ponis & illa creari à solo Deo, saltem foret primum eorundem principium exigentiale, quatenus ad exigentiam ipsius illa crearet Deus, & dicitur : Et hoc accidentibus esse commune,

quæ similiter ab iis nequeant absolvi, & si forte non emanantur ab ipsis, fiant tamen ad existentiam eorum in ipsis. *Dico*: hanc eorum existentiam non esse, aut intendi primò, vel potius ultimè propter ipsa, sed propter totum substantiale, ad quod ipsa, unà cum omni sua exigentiâ ulterius ordinantur. Deinde dici potest, quòd Substantia talis adhuc esset primum radicale principium operandi, non quidem positivè, quia nullius, ut ponitur, operationis elicitive; sed negativè, quia non radicaliter in alio principio priore, ut radicantur Accidentia. Cui neutra hæc Respons. placeat, aut admittat, definivisse nos Substantias, de quibus quidem constet, non quæ excogitari quovis aut fingi possint; aut aliam ipsæ meliorem, in re tam molestâ, tamque parum accommodatâ sensui, Definitionem adferat.

III.

Relatio est sola adequata ratio fundandi.

CXV. Inter novem Prædicamenta Accidentis considerandum hoc locum venit unicum, Relatio; nam Quantitas, Qualitas, Actio, Passio, Duratio, Ubiatio, & quæcum hæc realiter eadem sunt Situs, ac Habitus, in Physica tractari ferè consueverunt. Est autem Relatio, metaphysicè spectata, *Habitus animi ad aliud*: *Nexus unius cum alio*: *Forma referens unum ad aliud*: Et si quæ plures sunt Definitiones quoad rem eadem. Quare distin-

IGICALIS.

transcendentem & præ-

accidentalis suo Funcar.

dicatur, de quo plu: a

quæ hic dicitur sum u:

am aliquatenus conce:

ad prædicamentale:

utem aut omnia.

velutio omni actu l:

um cum alio, Relatio

comparatione Ince:

no connexæ hnt, h

ac proportionem

physicè sint ejusm

prædicamentale

verba, quæ &

distrahit opini

est & cum H

modo quod

rationi funda

re Conimbr. C

quo proximo

mode & Con

am. Arr. Ovi

complexum ex

fundandi. 4

sem. de Ben

am ration

terio nostra

solide stabi

æ Cateri

celeberrimè in transcendentalem & prædicamentalem. Illa essentialis suo Fundamento: *Asseritur* ingens esse dicitur, de quo plura paulò post. Et licet ea, quæ hìc dicturus sum. utramq; Relationem illam aliquatenus concernant, præcipuè tamen ad prædicamentalem pertinet. *Suppono* autem ante omnia, dari verè à parte rei, & secluso omni actu Intellectûs comparante unum cum alio, Relationes: cum verè, & sine tali comparatione Intellectûs, res in se certo modo connexæ sint, habeantque certum ordinem, ac proportionem ad invicem. Sed quid reverà physicè sint ejusmodi Relationes, ac præcipuè prædicamentales, celebris hodie est Controversia, quæ & Philosophos in vias omninò distraxit opiiones. Nam 1. Thomist. Scotist. & cum His Compt. Maur. Poliz. statuunt in modo quodam, extremis ipsi, eorûmq; rationi fundandi realiter superaddito. 2. Suar. Conimbr. Guillem. ponunt in solo fundamento proximo, sed à terminum connotante, unde & Connotatores dicti sunt. 3. alii cum Hurt. Arr. Ovied. Giat. &c. contendunt, esse complexum ex fundamento, termino & ratione fundandi. 4. denique. Multi RR. cum Fabri, Sem. de Bened. &c. solam volunt esse adæquatam rationem fundandi, quibus accedit Assertio nostra, quæ tamen antequam satis possit solidè stabiliri, refutandi prius sunt per ordinem Cæteri.

CXVI. 1. Itaque Relatio non est modus, realiter ab extremis & ratione fundandi distinctus. Ratio est 1. Quòd secluso quovis alio

distincto, hoc ipso quòd existant duæ albedi-
 nes, illæ sint sibi similes in essentia qualitatis,
 quia est una qualitas ambarum, quæ juxta
 Philosophum est Similitudo; idq; non tantum
 (ut ajunt) fundamentaliter, sed & formaliter,
 quia formaliter per ipsam utriusque albedi-
 nem talis est albedo una, qualis est altera. Sicut
 duæ Unitates sine alio modo distincto, sunt
 formaliter se ipsis duæ, & numerus æqualis.

2. Quòd pro priori ad istum modum Rela-
 tionis, duæ albedines conveniant in eo, quòd
 exigant, aut possint in se producere talem
 modum, adeoque sint in hac exigentia aut
 virtute productivâ similes: Jam si quoad hoc
 etiam sunt tantum similes fundamentaliter.
 Quæro: per quid formaliter? An per alios
 modos? Sed de his redibit eadem Quæstio us-
 que in infinitum. An per ipsos illos modos,
 quos exigunt, aut in se possunt producere?
 Sed hi sunt ipse terminus utriusque istius exi-
 gentiæ, aut virtutis productivæ, & quid poste-
 rius ad istam convenientiam, quæ est inter exi-
 gentiam unius & alterius; quomodo igitur
 ipsa formalis Relatio & Similitudo?

3. Quòd ipse modus albedinis A. sit similis modo
 albedinis B. quæro per quid formaliter? Si
 dicis: per se ipsos, quia sunt ipsa formalis Simi-
 litudo, sicut Ubicatio per se ipsam est in loco,
 quia ipsa formalis determinatio ad talem lo-
 cum. *Contrà* est: Quòd modus A. sit omnino
 indifferens, ut sit vel non sit similis modo B.

rens, ut sit, vel non sit in hoc loco, sed se ipso est ad tale locum determinata. Unde jam si potest modus A. per hoc præcisè fieri formaliter similis modo B. quòd producaturs modus B. jamque modus A. ipsi coexistat; poterit similiter albedo A. per hoc formaliter fieri similis albedini B. quòd producaturs albedo B. jamque sit una, qualis est altera. 4. Quòd multa hinc sequanturs incredibilia, ut quòd ad motum Muscæ tota rerum universitas intrinsecè mutetur, accipiendò novum modum certæ propinquitatis aut distantis, quam non habebat antè. Quòd singulis momentis necesse sit hunc modum in re qualibet mutari, quia continuò fiunt alii & alii rerum motus. Quòd debeant in quavis re esse tot modi, quot relationes habet ad res singulas sibi in Universo coexistentes, propinquas, distantes &c. Cum sit omninò perdifficile per modum unicum referri pariter ad omnes. Quòd cum ego habeam Relationem posterioritatis ad res omnes me anteriores, & ad posteriores omnes relationem prioritatis, si quis hunc modum Relationis intuitivè cognosceret, in eo legeret Historiam rerum omnium præteritarum usque ab Adamo, & similiter Prognosticon futurarum totâ æternitate, aliâque id genus quamplurima. Accedit, quòd agrè reddatur causa productiva talis modi V. G. Si rosæ hujati nascatur rosa similis in India, ut patebit examinanti. His denique subjungo authoritatem Philosophi ac Divi Thomæ,

Quorum Primus sæpè aſſerit : *Ad Relationem non dari motum* ; cujus rationem dat 2. *Phyl*
Text. I. *Quia contingit altero mutationem patiente (: nimirum termino :) alterum nihil mutationis subire, nempe fundamentum. Quod apud hosce Modistas verum esse non potest, quia per quamcunque relationem supervenientem mutatur intrinsecè fundamentum, per receptionem modi antè non habiti. Alter verò, licet quandoque loqui videatur in favorem partis oppositæ, disertè tamen Opusc. 48. de Prædicatione ad aliquid Cap. 2. ita loquitur pro Nobis : Cum autem dico, quod similitudo Sortis habeat albedinem ejus ut fundamentum, non est intelligendum, quod Similitudo Sortis sit aliqua res in Sorte alia ab ipsa albedine ; sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis ut terminum : si enim Similitudo adderet supra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo posset aliquis fieri alicui similis sine sui mutatione. Fit autem homo alicui similis sine sui mutatione, ut patet ; nam si quis in India fieret modo albus, fieret similis tibi, & ego tibi, nullâ in me factâ mutatione &c. Cui clarissimo Textui ipse Gallego Controv. 31. Log. nihil aliud habet, quod opponat, quam vel D. Thomam mutasse postea Sententiam ; vel Opusculum hoc non esse Divi Thomæ, sed alterius cujusdam Thomæ Doctoris Anglici, unde commissus fuerit error in Typo, locante Doctoris Angelici, pro Anglici. Sed quidquid sit de hoc, certè doctissimi Thomistæ Sylv. Soncin. Javell. Torres, Zümm. Bannetz, Soto, Veracruz. Aliique ab ipso Gallego citati, Sen-*

sententia defendere Nostram, ut genuinam S. Thomæ.

CXVII. Audiamus nunc etiam, quid ratione possint Modistæ contendere: Movent præcipue 4. *Primum* est: Quod nisi Relatio constituitur in tali modo distincto, quæ sit entitas quædam relativa, tota consurgeret ex Eutibus absolutis; quod fieri nequit, cum Ens absolutum & relativum opponantur. *Sed facilis est Responsio*: Non sic opponi, quin cadere ambo possint in idem, sic ut eadem res, quæ secundum se seorsim absoluta est, quatenus cum aliâ comparabilis, certoque modo connexa est, fiat respectiva. V. G. albedo A. secundam se seorsim & solitariè existens res absoluta est, & similiter albedo B. Quod si verò contingat, utramque simul existere, jam fiunt mutuè respectivæ, quia coëxistentes, sibi que similes, omni modo Relationis alio, vel realiter, vel per rationem præciso. *Secundum* est: Quod nisi Relatio sit talis modus, sæpè non foret Accidens, cum tamen Relatio sit unum de 9. Prædicamentis Accidentis; quoties nempe & fundamentum, & terminus, & ratio fundandi est Substantia, ut contingit V. G. in Relatione Alietatis duarum Substantiarum. *Sed* ad hoc etiam facilis est *Responsio*. Esse Relationem prædicamentalem semper Accidens, si non physicum, saltem logicum, quatenus extremis, jam in priori rationis præsuppositis, velut supervenire concipitur, cum suo modo prius sit esse, quàm referri ad aliud. Sufficere verò ad constituendum speciale Prædicamentum meram Distinctionem

L s

Ratio-

Rationis, patet in actione, & passione, realiter indistinctis. *Tertium* est: Quod si Relatio V. G. Similitudinis inter albedinem & B. non consisteret in modo distincto, sed in ipsa utraque albedine, jam deberet illa crescente, etiam crescere Relatio, quod tamen falsum est, cum duæ albedines intensæ ut tria non sint magis similes, quam duæ albedines intensæ ut tria. Imò si uni albedini ut tria addantur gradus alii tres, sic ut fiat intensæ ut sex, alterâ manente intensâ ut tria, jam crescit quidem albedo, sed decrescit Similitudo. Verùm neque ad hoc difficilis est Responsio, cum Relatio Similitudinis ista non statuatur à nobis ita simpliciter in duplici albedine, sed mutuo proportionatâ, sic, ut quantum major est ista utriusque proportio, tantò si Similitudo major. Unde jam cum duæ albedines ut tria proportionentur æquè, ac duæ ut sex, est par utrobique Similitudo. Cum verò unâ accrescente ad albedinem ut 6. alterâ verò permanente intensâ ut tria, decrescat illa proportio, quantumvis materialiter augeatur unum in ratione albedinis, patet ratio, cur decrescat Similitudo. *Quartum* denique est: Quod nisi relatio Dissimilitudinis, quæ V. G. est inter bonos Mores Petri, & malos Pauli, sit talis modus, jam nemo posset licitè amare istam Dissimilitudinem, quia hoc ipso partiale objectum amoris essent mali mores Pauli. Sed ad hoc est aperta Responsio. Quod utique nequeat licitè amari ista dissimilitudo ad æquatè & esset

tantum in adæquatè & denominativè : Ad eum modum, quo Deus amat Sacramentum Pœnitentiæ, cuius pars intrinsecè constitutiva secundum plures Theologos est ipsum peccatum, neque tamen ideò simpliciter & absolutè amantur boni Mores Petri, sed etiam respectivè ad malos Pauli, & prout sunt ipsi dissimiles, quia amantur illi præ his, præ his (: inquam) non amatis, sed odio habitis.

CXVIII. 2. Relatio non est solum fundamentum proximum, prout extrinsecè connotans terminum, V. G. Relatio Similitudinis inter parietem album A. & B. non est sola albedo A. quatenus connotat albedinem B. in pariete B. Ratio est, quia solâ ablatâ albedine B. & permanente pariete B. unâ cum pariete A. ejusque albedine, jam paries A. non est similis parieti B. ut patet : Quæro, ex cujus defectu ? Utiq; albedinis B. Infero : Ergo albedo B. est pars istius totius : paries A. similis parieti B. quo enim solo ablato, non habetur totum, necesse est, ut sit pars totius, quia cum aliquod solum tollitur, nihil tollitur ab eo adæquatè distinctum ; Si ergo solâ ablatâ albedine B. tollitur totum simile, evidens est, illam ab isto toto non distingui adæquatè, & per consequens esse partem illius. Jam in isto quærendo : qualis ergo in isto toto simili pars est albedo B. ? Non subjectiva, ut patet, neq; enim subjectum est, quod hîc denominatur simile ; non applicatio formæ ad subjectum, hæc enim est unio albedinis cum pariete, & quidem juxta nos utriusque ; ergo
forma-

formalis, five pars formæ denominantis, al-
 enim partes supersunt nullæ in toto concrete
 seu denominativo ; & quod hinc sequitur, a
 inirio probandum ; ergo albedo B. est pari-
 Similitudinis five Relationis, quâ paries
 denominatur similis parieti B. Potest autem
 Argumentum illud, quæcunque fiat respon-
 instaurari continuo, urgendumque est maxi-
 mè, cujus partis officium in toto simili habeat
 ratio fundandi tenens se ex parte termini, cui
 utique non sit terminus ipse in eo relativo, &
 quo loquimur. Adhæc si Relatio prædicame-
 talis esset sola ratio fundandi, tenens se ex par-
 te fundamenti, esset tota intrinseca fundamen-
 to, adeoque paries non posset de simili transire
 ad non similem alteri parieti, sine aliquâ sit
 mutatione intrinseca, quod falsum est : Nam
 juxta commune Dictum : *Non fit transitus a
 uno reali & intrinseco contradictorio ad alterum
 sine mutatione intrinseca subjecti transentis*
 Quinimò Similitudo albedinis A. ad B. dicen-
 da foret transcendentalis, quia essentialis &
 identificata adæquatè suo fundamento, quo
 nescio an aliquis assertivè dicat.

CXIX. Nihilominus opponunt isti. Autho-
 ritatem D. Th. sub finem Num. 116. allegatam
 Sed 12. Quod S. Doctor negando similitudi-
 nem Sortis esse aliquid in ipso Sorte distinctum
 ab albedine ipsius, nequaquam negat esse ad
 huc aliquid ex parte Platonis ; statim enim
 subjungit hæc verba : *Similitudo in me nullam
 rem addit supra albedinem, qua realiter fit in me.*
 Per quod non negat esse aliud in super in alio.

REALIS. 173
 Imò hoc ipsum positivè
 Cap. 3. ubi ait : *Relatio
 quæ Relatio dicitur res sua
 propriam terminum, quæ non
 est. Ubi dicitur, loqui S. D. de
 quibus ratio fundandi, par-
 fundamento, partim termi-
 ali similitudo inter albedinem
 hunc locum paulò post ad-
 in statuati in tribus istis simi-
 2. Postea solâ albedine
 ratio, cur paries a referat
 quod per suam solius ali-
 comparabilis cum pariete
 non probatum est, si
 pariete B. jam paries
 etque similis parieti B.
 velut formæ partia
 A. non est prædicame-
 pariete B. quod ipse
 sed quod sit albus, sic
 per suam solius albedi-
 per albedinem utriusque
 provenire ex eo
 sit semper mutua,
 ut sit unica. Dico
 non mutua, sed pr
 quæ licet acci-
 nit tamen albedi-
 nam adæquatam
 nunquam fit
 cuius Relatio non*

lis. Imò hoc ipsum positivè
 sc. Cap. 3. ubi ait : *Relatio*
o, quia Relatio dicit rem sui
positum terminum, quem non
s. Ubi adverte, loqui S.D. de
 quibus ratio fundandi, par-
 fundamento, partim termi-
 similitudo inter albedinem
 hunc locum paulò post ad-
 statuunt in tribus istis simul
 2. Positâ solâ albedine A.
 ratio, cur paries A referatur
 quòd per suam solius albe-
 comparabilis cum pariete B.
 omninò probatum est, si enim
 pariete B. jam paries A non
 eque similis parieti B. idque
 velut formæ partialis. Cer-
 non est prædicamentaliter
 pariete B. quòd ipse sit sim-
 quòd sit albus, sicut est iste ;
 suam solius albedinem, se-
 albedinem utriusque. *Quòd*
 provenire ex eo, quòd rela-
 t semper mutua, secùs esse, si
 è ut unica. *Dico* : Non prove-
 e mutua, sed præcisè ex rati-
 quæ licèt accipiatur præcisè
 t tamen albedinem utriusque
 adæquatam, quia nisi uterq;
 nunquam simile etiam unicum

Relatio non est fundamentum,
 termi-

terminus & ratio fundandi simul sumpta: tum quòd essentia rerum statui debeant in Entibus quàm fieri potest paucissimis; tum quòd concretis, si fieri potest, confundenda non forma denominans cum subiecto denominat, idq; non solum in absolutis, sed etiam in respectivis: utrumque autem hoc malum evitatum si in solâ ratione fundandi statuitur, ut potest multò commodissimè. Accedit, quòd habet præcisè duplici albedine, etiam sine alio fundamento & termino, habeatur tota forma capax denominare simile, etsi actu non denominat defectu subiecti: Sicut habitâ solâ albedine habetur tota forma capax denominare albedinem, etsi actu non denominet defectu subiecti. Cujus ratio à priori petitur ex Arist. qui *Similitudine* dixit *esse qualitatem unam duorum*, quæ præcisè & formaliter habetur habitâ duplici albedine, ut quæ solæ sunt de numero qualitatum.

CXXI. Sed hîc audio, te planè eodem modo argumentantem, sicut nos supra *Num. 11* solo ablato termino v.g. pariete B. & manente illius albedine unâ cum pariete albo A. non habetur hoc totum, paries A. similis parieti B. ergo paries B. est pars totius similis. *Quæstio* jam: Qualis est pars? non subiectiva, quia non est fundamentum, quod simile denominetur non applicatio formæ ad subiectum, hæc enim est Unio albedinis cum subiecto; ergo formalis, sive pars formæ denominantis, h. e. Relationis. Sed imprimis vi præcisè Argumenti istius non probas, etiam fundamentum esse partem formæ denominantis, sive Relationis. Deinde

Conc

*Conc. partem B. esse partem totius similis. ut rectè probas, non tamen formalem, sed subjectivam ad quod, h. e. cui fundamentum simile denominetur, non quod ipsum sit simile, & subjectum Quod. Nam in omni denominatione respectiva, cum sit necessariò unum & alterum, duplex requiritur subjectum: Unum Quod, & indirecto denominatum, estque fundamentum; alterum Cui vel, ad quod, & denominatum in obliquo, estque terminus; ad quem refertur fundamentum. Præter hoc autem subjectum duplex, insuper est forma, per quam fundamentum refertur ad terminum; & hanc solam esse rationem fundandi dicimus. Secus est in denominationibus absolutis, ubi cum non sit unum ad alterum, unico solùm opus est subjecto, insuperque formâ denominante, & illius debitâ ad subjectum applicatione. Quòd si verò tibi illa duplicis subjecti Distinctio non probatur, per me licet, ut solum fundamentum dicas esse subjectum, terminum verò non subjectum, sed terminum, modò in denominationibus relativis, præter subjectum, formam, & applicationem formæ debitam ad subjectum, admittas insuper requiri terminum, ut salves unum relatum ad aliud. Quòd non poteris sine uno & alio, insuperque forma, per quam illud unum ad aliud referatur. Si verò dicis: In omni concreto, illud habere rationem formæ, saltem partialis, quod in illius resolutione importatur in obliquo, ut si dicas: *Album est res habens albedinem*, & sic in cæteris. Dico: Id in concretis relativis non tenere, propter rationem modò*

ASSERTIO VI.

modò datam, quidquid sit in absolutis. Audi
 rursus arguentem : Nisi Relatio constituatur
 in tribus istis, quæ conflent unam formam Re-
 lationis logicam, non erit Accidens logicum
 neque constituet speciale Prædicamentum,
 omnis enim Effectus formalis, quem tribuen-
 potest V.G. Generatio aut Ubicatio, ut quo-
 denominet entitatem Patris generantem, ren-
 esse in tali loco &c. pertinebit ad Prædicamen-
 tum *Actionis* & *Ubi*. Sed ad 1. jamtum Num-
 117. responsum est. *Ad 2dum dico*: Quòd et
 Relatio ponatur in solâ adæquatâ ratione fun-
 dandi, tamen constituat Prædicamentum spe-
 ciale, à quovis alio, ad minùs ratione, distinctū
 quod satis esse, in actione & passione constat.
 Atque ut hoc ipsum ostendam in exemplis al-
 latis: eadem Generatio- ut præcisè denomina-
 Entitatem Patris generantem, tribuit effectum
 formalem Prædicamenti *actionis*; sicut eadem
 Passio, ut præcisè denominat entitatem Filii
 generatam, tribuit effectum formalem Prædi-
 camenti *Passionis*: ut verò denominat utraq-
 Entitatem Patris generantem Entitatem Filii
 & Entitatem Filii, ab Entitate Patris genera-
 tam, & hanc cum illâ certo modo connectit,
 sic tribuit Effectum formalem Prædicamenti
Relationis; idque non tantummodò, cum actio
 & passio realiter idem sunt, sed etiam in Hy-
 pothesi, quâ forent realiter distinctæ, ne quid
 inde capiant Argumenti, qui in solo funda-
 mento proximo, h. e. in ratione fundandi ut
 præcisè tenente se ex parte fundamenti, consti-
 tuunt adæquatè Relationem. Similiter eadem
 Ubi-

AL
 sola
 que
 Cr
 minar
 propi
 Præ
 ach
 balbedi
 ad un
 Num
 rem rep
 metis a
 Aliud
 eadem
 cum t
 e dist
 ritas
 sar lo
 ne ne
 cur
 nam,
 term
 tunc
 cho
 His
 ant

Ubicatio (: quæ se solâ denominat rem in hoc loco existentem , itaque tribuit effectum formalem Prædicamenti *Ubi* :) quatenus cum alia Ubicatione denominat rem in tali spatio distantem , aut propinquam alteri rei , tribuit effectum formalem Prædicamenti *Relationis*.
Solutio arguentem adhuc , quòd in Relatione Similitudinis albedinis A. ad B. nos incurramus incommoda ad unum omnia , quæ contra hanc Sententiam *Numm.* 120. adferebamus , adeoque gratis eam rejiciamus in aliis V. G. in Similitudine parietis albi A. ad parietem album B. *Solutio* R. Aliud esse in relationibus , ubi ratio fundandi eadem est partim cum fundamento , partim cum termino ; aliud ubi ab utroque adæquate distincta est. Quod si in illis exigit dura necessitas , ut relationem cum toto relativo , realiter loquendo , confundamus. Certè in his neque necessitas , neq; ulla urgens ratio ita fieri requirit. Dico : *realiter loquenda* : Nam in illis etiam , loquendo formaliter , fundamentum & terminus non ut talia , sed ut præcisè sunt ratio fundandi , rationem habent formæ referentis , hoc est , Relationis.

CXXII. His nunc ita refutatis , plana est ad Assertionem nostram via : nam Relatio est forma referens unum ad aliud : Est nexus unius cum alio : est vinculum duorum. &c. hæc forma , hic nexus , hoc vinculû , est sola ratio fundandæ Sicut Unio , quæ nexus est , sive vinculum extremorum , est sola Entitas illa modalis , quam dicimus unionem , non verò partialiter ex ipsis coalescit extremis ; ergo. Quòd si jam præter

ea, quæ hæcenus mota sunt, adhuc tibi contem-
 dendi est animus, nos ad audiendum promp-
 sumus. Quid igitur? *Dicitur* 1. Datur Relatio
 quando non datur ratio fundandi, V. G. relatio
 Patris ad Filium, quando dudum desit Gen-
 ratio; non potest igitur illa esse tota relatio.
Hoc argum. tenet æqualiter omnes, quæque
 relationem non constituant in modo distinctæ
 & permanente. Dicendum ergo, quod sic
 moraliter, non physicè, etiam dum physici
 præterit, perseverat Generatio, quamdiu sci-
 pergit Filius intuitu primæ Generationis ex
 causarum naturalium conservati; sic etiam
 perseveret Relatio moraliter, non physicè.
Infestis arguendo: Ergo mortuo Filio nullatenus
 erit amplius relatio Paternitatis: *Dico:* Non
 erit physicè; sed neque moraliter in rigore
 philosophico, quia ne sic quidem perseverat
 generatio, utpotè quæ erat primò physicè, deinde
 moraliter in filio, sicut omnis actio est in passivo
 eo autem mortuo jam nullatenus est in illo.
 Nihilominus erit moraliter in sensu vulgi, quod
 Pater vocatur, quisquis aliquando genuit Filium:
 sicut Consul dicitur, quisquis aliquando
 hoc munere perfunctus est. *Si infestis iterum qua-
 rendo:* quid ergo dicendum, si filius semel mor-
 tuus, dein miraculosè revivisceret? an possit
 hominem, à quo fuerat aliquando genitus
 compellere Patrem? *R.* Possit in sensu Vulgi
 prædicto, non aliter, quia nequidem moraliter
 in rigore philosophico existeret Generatio
 cum nequidem intuitu primæ Generationis
 à tali homine olim impense conservaretur.

*Ergo in æternitate nemo
 parentes suos, modo Christus
 virginem verè vocare Matrem
 vixit, quo miraculosè fuerat
 causarum naturalium confes-
 sione. Dico: Quod si loqueris in
 rectè concludas, secus si in
 forte verum sit, quod aut
 in communi resurrectione
 homines omnes intuitu primæ
 hæc denuò incipiat esse strictè
 que id absolum in Christo è
 debet, cum ex illa Christi
 Matre per aliquod vixit
 neol. cum Card. de Lugo
 in Meritorum Christi ad
 quæque Patribus, ipsique
 concessas, absque eo
 reciprocâ ipsorum
 Merita illius. Quod si
 mortuo patre. & maner
 philosophico manebit
 modo & paternitatis,
 moraliter generatio r
 tu ipse perget conse
 que concludas; non
 moraliter perseveran
 defectu subjecti
 Entitas patris; n
 aliter perseveran
 defectu subjecti Q
 eadem Entitas
 non esse.*

Quod non esse.
 M 2

Quod hinc inferas : Ergo in aternitate nemo poterit compellare parentes suos, imò Christus non potuit B. Virginem verè vocare Matrem suam eo tempore vitæ, quo miraculosè fuerat supra ordinem causarum naturalium conservata solo Deo. *Dico* : Quòd si loqueris in rigore philosophico, rectè concludas, secùs si in sensu Vulgi : Nisi fortè verum sit, quod ait Compton. Deum in communi resurrectione reproducturum homines omnes intuitu primæ generationis, ut hæc denuò incipiat esse strictè moraliter. Neque id absolum in Christo & B. Virgine censerì debet, cum ex illà Christi Independentiâ à Matre per aliquod vitæ sue tempus, plures Theol. cum Card. de Lugo salvent prioritatem Meritorum Christi ad gratias speciales, antiquis Patribus, ipsique Matri eorundem intuitu concessas, absque eo, quòd interveniat prioritas reciproca ipsorummet ad Christum & Merita illius. *Quod si rursùm inferas* : Ergo mortuo patre, & manente filio, adhuc in rigore philosophico manebit tota relatio filiationis, imò & paternitatis, quia manebit strictè moraliter generatio recepta in filio, cujus intuitu ipse perget conservari. *Dico iterùm*, quòd rectè concludas ; non tamen filiationis strictè moraliter perseverans actu denominabit filium, defectu subjecti ad quod, sive termini, quæ est Entitas patris ; neque paternitas strictè moraliter perseverans actu denominabit patrem defectu subjecti *Quod*, sive fundamenti, quæ est eadem Entitas Patris, & utroque ponitur non esse. Quanquam in sensu

Vulgi ille perget denominari filius ; sed non esse pater, cum non sit, nisi cum addito, per memoria Pater.

CXXIII: *Dicis 2.* In hac Sententia eadem omnino est relatio paternitatis & filiationis quod non facile audietur in Philosophia. Idem rursus, si in sensu reali loquimur, tene omnes non Modistas. Erit ergo eadem formaliter relatio, h. e. eadem forma referens & patrem ad filium, & filium ad patrem, physice loquendo : Sicut eadem est cognitio & Intellectum denominans cognoscentem, & objectum cognitum, illaque duo referens ad se mutuo. Erit tamen alia & alia, logicè loquendo, in quantum tribuit denominationem duplicem, & Patris uni, & Filii, non eidem, sed alteri. In quo nihil invenio, quod sit absolum in Philosophia. *Neque hinc inferas* : Ergo idem erit totum pater, & idem filius. *Nam* : esto idem sit constitutive & essentialiter, quia utriusque sunt eadem omnino constitutiva, non tamen erit idem denominative, quia sic totum *Pater* importat in recto Entitatem patris, totum *Filius* autem entitatem filii, non patris : Planè sicut constitutive idem sunt, paries habens unitam sibi albedinem, & albedo unita vel afficiens parietem, sed non denominative, propter rectum omnino diversum. *Si dicis* : Rectum & obliquum haberi formaliter per Conceptus, adeoque realiter & antecedenter ad nostros Conceptus, idem fore hoc totum, *Pater*, & illud, *Filius*. *Dico* : quod antecedenter ad Conceptus nostros eadem sunt utriusque totius constitutiva.

Sed

Sed tamen si Patrem dicitis, ut à Filio contra-
 distinctum, jam ipse misces Conceptum, ac
 unum importas in recto, quod non est idem,
 cum illo, quod in recto significas, dicendo, *Fili-*
us. Hoc verò si non vis, silere te oportet, cum
 sine recto & obliquo nullam prorsus hac in re
 formare Propositionem possis. De cætero ille,
 qui pater est, ante omnem conceptum nostrum,
 alius est ab illo, qui filius, & contra, quamvis
 utrumque totum physicè ex eisdem partibus
 coalescat, sed diversimodè importatis, cum de
 illis loquimur.

CXXIV. *Dicitis denique*: In quæstionibus de
 nomine, qualis tota, quanta, est hæc, potius esse
 loquendum cum parte potissimâ, quæ hic stat
 pro complexo ex tribus. *Et imprimis*: hanc
 non esse Quæstionem meram de Nómine, con-
 venimus namque in nomine Relationis, quod
 nempe sit habitudo unius ad aliud, sive forma
 referens unum ad aliud; quid autem physicè
 sit ista forma, & habitudo, hoc est quod dispu-
 tamus, utique non de nomine, sed de re. Sicut
 esto tu & ego admittamus eadem constitutiva
 totius albi, nempe parietem, albedinem, &
 unionem; si tamen ego dicerem, quòd forma
 denominans album non sit sola albedo, sed tria
 simul omnia, tu verò diceres, solam esse albedi-
 nem, certè non foret lis de nomine, sed de re;
 conveniremus enim in nomine, forma deno-
 minans album, sed de re, quid scil. reverà sit
 ista forma, Ens unum, an tria, contenderemus.
 Deinde antiquior circa Relationem Sententiæ
 videtur esse, quæ stat pro modo superaddito; si

ergo licuit Adversariis ab illa recedere comparando geminis Entibus in toto relativo cur nobis non liceat ab ipsis recedere, comparando geminis in ipsa Relatione? idq; magis cum Authores hodie plerique nostram vel expeditiorem tueantur. sic, ut meritò dubium sit, an non pro Nobis potius stet pars potissima Philosophorum.

IV.

Qua si soli Fundamento essentialis est, transcendentalis; Si non, prædicamentalis erit.

CXXV. Sicut de Relatione prædicamentali dictum est, eam consistere in solâ adæquatâ ratione fundandi; ita idem intelligendum est ex paritate rationis de transcendentali. V. G. *Causa respicit transcendentaliter Effectum à se producibilem*: Hic ipsa entitas causæ, est *Fundamentum*: Effectus producibilis, *Terminus*: *Ratio fundandi*, Ipsa virtus productiva effectûs, quæ est in causa; erit ergo hæc virtus relatio formaliter spectata; totum verò transcendentaliter relativum ex tribus istis simul coalescet, tanquam ex duplici subjecto, vel uno subjecto, & uno termino, ac tertiâ formâ denominante. Et quanquam virtus ista productiva sit ab ipsa entitate causæ realiter indistincta, adeoque in sensu reali idem sit fundamentum, quod ratio fundandi, sive relatio; non erit tamen relatio præcisè ut fundamentum est, sed ut ratio fundandi. Atque in hoc differt relatio transcendentalis à prædicamentali, quòd illa semper sit adæquate intrinseca

seca & essentialis suo fundamento ; hæc verò contingens, & saltem partialiter extra fundamentum, ut videbit, qui utriusque Relationis exempla contulerit. Unde etiam est, quòd pereunte termino Relationis transcendentalis, consecutivè necessariò pereat etiam Relatio ipsùmque fundamentum, quia scil. essentialis est fundamento, talem terminum respicere, quod non potest ipso deficiente. Contrarium ex ratione contraria potest accidere in Relatione prædicamentali, ubi termino deficiente, non solum manet fundamentum, sed ipsa quandoque potest etiam manere tota Relatio, etsi tunc actu non referat fundamentum ad terminum, constituâtque totum relativum. Et hoc quidem utriusque signum est, distinctivum universale ac infallibile, præter quod, quæ à nonnullis alia insuper adferuntur : Ut quòd Relatio prædicamentalis requirat extrema actu existentia, secus transcendentalis ; quòd Relatio prædicamentalis alligetur uni certo Prædicamento, transcendentalis autem vagetur per omnia ; quòd transcendentalis arguat perfectionem intrinsecam fundamento, secus ac prædicamentalis ; quòd transcendentalis non requirat terminum adæquatè distinctum à fundamento, secus ac prædicamentalis ; aliæque id genus ; aut universalis non sunt, aut re ipsâ sunt falsa, ut patebit consideranti singula.

* * *
* *

M 4

ASSER-

184 **ASSERTIO VII.**
LOGICALIS.

Signum in genere est, quod potentia cognoscitiva aptum est aliquid representare. Aliud est naturale, aliud ad Placitum. Hujus Vis significativa in actu primo, est volitio Instituentis, declarata, acceptata, & moraliter perseverans. Propositionalis est actus Intellectus ferens sententiam de connexione prædicati cum subjecto. Est entitativè indivisibilis. Habet pro Objecto materiali connexionem objectivam; pro formali eandem connexionem, saltem apprehensam intercedere Prædicatum inter & Subjectum, si affirmativa est; Negationem verò talis connexionis, si negativa.

I.

Signum in genere est, quod potentia cognoscitiva aptum est aliquid representare. Aliud est naturale, aliud ad Placitum.

CXXVI. **E**ST ea ferè communis Signi definitio, in qua dicitur 1. *Id quod, sive res, quæcumque demum illa.* Dicitur 2. *Aptum est:* Neque enim ad rationem signi requiritur, ut actu ducat in cognitionem alicujus, sed sufficit, si possit. Dicitur 3. *Potentia cognoscitiva:* Sive ea spiritualis sit, sive materialis. Dicitur 4. *Representare;* intellige se ipso & proximè, hoc est, ut se ipsum sistendo potentia cognoscitiva, immediatè possit ducere in
cogni-

cognitionem rei per ipsum significata. Unde jam excluduntur à ratione signi causæ productivæ ipsius signi, quæ non formaliter, sed tantum causaliter signa dici consuevère. Item quæcunque res ita connexa, ut ope Argumentationis possit quidem ab una deveniri in notitiam alterius, ad hoc tamen immediatè significandum neque à natura, neque ab hominum voluntate sunt instituta. Dicitur 5. *Repræsentare aliquid*: qualecunque id sit, sive positivum, sive negativum, sive reale, sive impossibile: nam & negationum & rerum impossibilium signa dantur, cujusmodi sunt Voces illæ, quibus id genus objecta significare solemus. Imò videtur necessarium non esse, ut res significata sit ab ipso signo distincta realiter, saltem adæquatè: Sic enim *Tò Vox* generatim accepta significat Voces omnes, ac inter reliquas se ipsam. Unde jam *Vides*, quòd omne signum dicat respectum duplicem, unum ad potentiam cognoscitivam, cui potest aliquid repræsentare; alterum ad ipsam rem significatam, debet enim posse significare, & aliquid, & alicui. Erit autem respectus ille vel transcendentalis, vel prædicamentalis, prout fuerit connexio vel essentialis, vel accidentalis, signi cum re significatâ.

CXXVII. Porro signum aliud est formale, quod se ipso, etiam *Ut quo*, h. e. non prius cognitum, ducit in cognitionem rei, quales sunt cognitiones nostræ respectu objectorum, quæ per ipsas cognoscimus, & fortassis etiam species impressæ: Aliud instrumentale, quod mediâ sui cognitione, sive quod prius cognitum, ducit

in cognitionem rei, ut sunt alia pleraque. Deinde signum aliud est manifestativum tantum, aliud insuper suppositivum; illud solum rem manifestat, ut *Fumus ignem*; hoc insuper pro eodem supponit, ut sunt voces significativæ, quæ non tantum res significant, sed etiam loco earum supponuntur, cum res ipsas in Discursum adducere nequeamus. Item: aliud speculativum, aliud practicum; illud rem nude significat, hoc insuper facit; illius exemplum est *hedera respectu vini venalis*: Hujus: *Sacramenta Nova Legis respectu Gratia sanctificantis*. Denique ut alia minoris notæ præteream, aliud est naturale, quod ex natura sua, sive ob naturalem quandam connexionem cum re, eandem significat, ut *fumus ignem*: aliud ad placitum, quod ex libera hominum voluntate assumitur ad certum aliquid significandum, ut *hedera respectu Vini venalis*, omnesque voces significativæ.

II.

Hujus Vis significativa in actu primo est volitio Instituentis, declarata, acceptata, & moraliter perseverans.

CXXVIII. Signi naturalis vim significativam in actu primo v.g. quam habet fumus ad significandum ignem, esse ipsam naturalem ac necessariam connexionem signi cum re significatâ, satis convenit inter AA. Non ita circa vim significativam signi ex instituto: Sunt enim, qui in hoc recurrunt ad modos superadditos; alii ad Relationes

nes Rationis ; Alii ad Entia moralia ab omni Ente physico distincta. Contra hos omnes stat praelens Assertio, dicens : Vim hanc significativam, in actu primo spectatam, esse volitionem ipsam Institutoris. Ratio autem est, quod sublato omni modo, qui physicè inhæreat huic voci, *homo* ; omnique conceptu referente, aut relatione rationis fictâ, in ipsa resultante, quæis comparetur, aut respiciat formaliter rem à se significatam, vox illa Vim habeat significandi tale animal, præcisè per hoc, quod per voluntatem Institutoris ad hoc significandum fuerit assumpta, quâ positâ accepit, & quâ solâ nunc ablatâ perderet vim suam significandi. Quod verò ad Ens illud morale pertinet, ab omni Ente physico distinctum, merum figmentum est, cum omne existens verè à parte rei, sit ens physicum ; quidquid autem non existit, sed neque potest sic existere, aut ens negativum est, aut impossibile. Dixi tamen : *Est volitio Instituentis declarata, acceptata, & moraliter perseverans* : Nisi enim ista volitio usuris tali signo innotescat, ab eis que acceptetur, non erit signum proximè expeditum ad significandum, quia non poterit proximè in talis rei cognitionem ducere. Deinde nisi perseveret moraliter, h. e. deducatur in usum, neque per voluntatem, contrariamve consuetudinem, vel non usum abrogetur, non poterit tale signum exercere porro vim significandi ; etsi dum primò instituebatur, vim significandi habebat sine morali istâ voluntatis perseverantiâ, eò quod ipsa physicè tunc existeret. Unde jam hæc declaratio,

Ratio, acceptatio, & moralis perseverantia voluntatis instituentis, sunt de essentia signi, ut proximè significativi, saltem tunc, cum voluntas ista non est amplius physicè.

CXXIX. Sed *Oppones* I. Illa volitio Instituentis, quæ dicitur esse Vis significativa, habebit se ipsam pro objecto, quia Instituens vult illam vim significativam dare signo. R. Quòd illa volitio Instituentis non habeat pro objecto vim significativam in actu primo, sed significationem in actu secundo, h. e. perceptionem actualem rei per signum significandæ; dicit enim sic: *volo*, ut quisquis deinceps audiverit hanc vocem, *homo*, veniat in cognitionem talis animalis; hoc ipso autem, quòd signatè velit, idque efficaciter, quantum est de se, perceptionem talis rei, ex hac voce hauriendam, jam exercitè, formaliter, & absolutè efficaciter, per hanc ipsam volitionem tribuit isti voci vim tale quid significandi. *Si dicis*: Quòd illa Instituentis volitio non possit velle efficaciter actualem perceptionem rei ex tali voce hauriendam, utpotè quam prævidet sæpè & necessariò frustrandam. *Dico*: Quòd id possit efficaciter, quantum est de se, hoc autem volendo, simpliciter & absolutè tribuat efficaciter tali rei vim in actu I. significativam. *Si queris*: In quo consistat hæc Efficacia? R. In speciali modo tendendi ipsius volitionis, quo se longè aliter experitur affici Institutor, quàm si nudè optaret, aut vellet solùm ineffaciter. Planè sicut Theologi passim de voluntate Legislatoris discurrere consueverunt. *Quòd si urges*: velle
ta-

Instructorem, ut ista actualis perceptio
 rehat dependenter ab hac sua voluntate, quâ
 da signo vim tale quid significandi. *Dico:*
 Necessarium non esse, ut voluntas ista sit etiam
 indirectè reflexa supra se ipsam, sed suffice-
 re, si id faciat exercitè, per specialem illum
 tendendi modum. Quanquam si & hoc dare-
 tur, nullum esset inconveniens, cum possit ali-
 quid hoc modo se ipsum habere pro objecto
 indirecto; ut si Princeps dicat: *Volo, ut depen-*
denter ab hac meâ voluntate sis Prætor. In sum-
 ma, circa institutionem alicujus signi sequen-
 tes notandi sunt actus, qui possunt interveni-
 re: *Primus* est *Cognitio*, quâ videt instituens,
 se posse hîc & nunc, vel debere signa quædam
 instituere. *Secundus* est *Volitio*, quâ dicit: *Volo*
instituere signum significativum animalis ratio-
nalis. *Tertius* est *cognitio*, quâ videt Voces ad
 hoc assumibiles, interque cæteras hanc, *homo.*
Quartus est *volitio*, quâ statuit ad hoc assumere
 hanc vocem, *Homo.* *Quintus* est *volitio*, quâ di-
 cit: *volo, ut quisquis deinceps hanc vocem, homo,*
audièrit, veniat in cognitionem talis animalis.
Sextus est *cognitio*, quâ videt, se hîc & nunc
 posse, aut debere obligare ad hoc, ut nemo
 deinceps aliter hac voce utatur. *Septimus* tan-
 dem est *volitio*, quâ ad hoc obligat. Et ex his
 actibus solus quintus est formaliter instituens
 signum, ejusque vis significativa, quatuor verò
 primi antecedunt, duo ultimi eandem conse-
 quuntur.

CXXX. *Oppones 2.* Si vis significativa signi
 est voluntas Instituentis: ergo qui cognoscit
 vim

vim istam significativam, cognoscit voluntatem instituentis; hoc autem est contra Experiētiā: *¶*. Si vim illam significativam quis clarè cognoscit, is utique cognoscit voluntatem illam clarè; qui verò cognoscit illam confusè, & hanc cognoscit confusè; id quod accidit plerumque apud ineruditos. Si verò quæras ex homine erudito: cur ista vox, *homo*, significat tale animal? Is continuò *¶*det: Quia sic placuit Institutori. *Si dicis*: Illa tamen vis significativa nunc est, cùm non sit voluntas instituentis. *Dico*: Pari modo utramque esse moraliter, in quantum, fuit aliquando physicè, & nunc, cùm desit, præstat eodem effectus, ac si physicè existeret. *Si dicis iterum*: vim tamen significandi nunc esse physicè in signo, cùm tamen non sit physicè voluntas Institutoris. *Dico*: Vim significandi esse nunc physicè quoad Effectum, quem præstat, non quoad entitatem suam. Quod idem pari modo facit voluntas Institutoris. De cætero sicut voluntas Institutoris, ita & vis significandi, pridem præterit, solumque perseverat moraliter. *Si dicis deniq;*: Tamen illa vis significativa, quæ V.G. est in voce (*homo*) nunc physicè, saltem mediatè, causat cognitionem animalis rationalis, quaten⁹ audita ingenerat sensui speciem impressam sui, cum quâ efficienter concurrente fit Sensatio, ac deinde cognitio saltem materialis; quod non convenit volitioni instituentis, utpotè physicè non existenti, sed pridem præteritæ. *Dico*: Non Vim significativam Vocis istius, sed ipsam Vocem, cui vis ista est

merè

merè extrinseca, ingenerare sensui speciem sui, cum quâ deinde fit sensatio, & cognitio materialis vocis istius. Quòd autem inde sequitur cognitio talis animalis, non est ab illa specie ingenerata per vocem, sed ab alia rememorativa, relictâ post cognitionem, quâ aliquando cognovit audiens, per talem vocem tale quid significari. Id quod manifestum est in homine, imperito Linguæ, qui quamvis vocem cognoscat, nescit tamen, quid per illam significetur.

III.

Propositio mentalis est actus Intellectûs ferens Sententiam de connexionem prædicati cum subjecto.

CXXXI. **E**ST hæc Judicii mentalis definitio communis iis omnibus, qui pro objecto illius materiali, sive terminativo statuunt connexionem prædicati cum subjecto. Qui verò statuunt nuda extrema, definiunt, quòd sit oratio affirmativa negativæve alicujus de aliquo, h. e. prædicati de subjecto: quanquam illa potius Divisio videatur esse, quàm Definitio. Habet autem in nostra Definitione locum generis actus Intellectûs, in quo Judicium, convenit cum Apprehensione & discursu. Cæteræ particule tenent locum Differentiæ, & quidem talis, quæ petitur ex ipso intrinseco tendendi modo, quem habet Judicium ab Apprehensione simplici & Discursu planè diversum, unicèque sibi proprium, consistentem in eo, quòd non intueatur nudè objectum, ut facit Apprehensio, neque ex alio anteced-

dente inferat, ut discursus, sed simpliciter dijudicet, asserendo, vel negando connexionem objectivam prædicati cum subiecto, ut melius constabit ex dicendis.

IV.

Est entitative indivisibilis.

CXXXII. **S**I verum est, quod valdè probabiliter plures docent, quòd actus vitales intentionales physicè consistant in actione & termino realiter distinctis, Judicium non erit actus ita simplex, quin ex istis etiam, sicut actus cæteri Intellectus omnes, coalescat. An verò sit actus ita simplex, ut ex nullis Apprehensionibus componatur, sed unus sit & indivisibilis, per suum specialem tendendi modum ab omni Apprehensione simplici essentialiter contradistinctus? Hoc est quod in quæstionem hic adducitur. In quo sunt, qui cum Suar. Judicium docent involvere tres actus, quorum unus sit conceptus copulæ, & importetur in recto, alii autem duo, importati in obliquo, sint conceptus subiecti & prædicati. Sunt iterum, qui cum Vasquez volunt, Judicium componi ex apprehensione duplici, quarum una repræsentet subiectum, ut conveniens prædicato, altera prædicatum, ut conveniens subiecto. Sunt adhuc, qui cum Molina tres quidem conceptus intervenire contendunt, sed quorum duo, terminati ad extrema, requirantur solùm præsuppositivè, & velut præviæ conditiones ad tertium, qui terminetur ad copulam, & in quo
forma-

formaliter consistat: Vis Judicii. Sed contra hos omnes idem militat Argumentum: Vel actus isti, sive duo, sive tres, meræ apprehensiones sunt; vel eorum aliquis est quid plus quàm apprehensio? Si primum: insufficientes sunt ad formandum Judicium, quantumvis enim multiplicentur apprehensiones, nunquam accipient specialem illum tendendi modum, qui est in Judicio, ut nempe per modum dirimentis & ferentis Sententiam tendant in objectum, nisi deserant naturam apprehensionum, quales tamen esse dicuntur: Sed neque poterunt unquam adferre differentiam specificam Judicii ab Apprehensione simplici, quia partes omnes Judicium componentes erunt meræ apprehensiones. Quinimò potest esse apprehensio subjecti, apprehensio prædicati, & apprehensio copulæ, etiam simul, & eodem tempore in Intellectu, absque eo quòd sit Judicium, tantum defectu istius specialis modi tendendi, qui est in Judicio diversus ab omni apprehensione, id quod *Experientiâ* constat certum esse. Si secundum: Ille solus erit Judicium, & actus simplex, habens modum tendendi proprium Judicio, adeoque plurimum ab omni apprehensione simplici diversus. *Nec juvat dicere*, quòd actus isti sive duo, sive tres, seorsim quidem, & secundum se singuli sint mera apprehensio; conjuncti tamen unum faciant, componantque Judicium: Sicut in Propositione vocali Subjectum, Prædicatum, & copula seorsim sunt termini simplices, conjunctim verò Propositionem faciunt vocalem. *Nam per hoc,*

Logica.

N

quòd

quòd actus isti, qui seorsim merè apprehensiones sunt, accipiantur simul, deserere non possunt intrinsecum, sibi que proprium tendendi modum, novumque acquirere, qui sit proprius actui, ab ipsis essentialiter diverso, nisi & naturam exuant suam, induantque novam. Aliud longè est in vocibus externis, quæ non involvunt talem proprium, specialèmq; modum tendendi, eumque sibi saltem inadæquatè identificatum, sicut actus isti vitales intentionales.

CXXXIII. Præter hos, aliam de Judicii Fabricâ cudit Sententiam de Bened. L. 3. Log. q. 2. Cap. 1. docens : quòd Intellectus, cùm de rebus præviè apprehensis fert Judicium, eliciat quidem actum novum, & à prioribus istis distinctum specie, attamen qui cognoscitivus non sit, sed merè (: ut vocat :) syncategorematicus, idèmq; præstet in mente relatè ad prævias apprehensiones, quod verbum, *est*; relatè ad terminos vocales; adeoque fungatur munere Unionis intentionalis inter duas apprehensiones prævias, sicut verbum, *Est*, locum habet inter duos terminos vocales. Unde secundùm hunc Authorem, si Judicium accipias formaliter, consistet in actu isto syncategorematico copulante, & sic erit actus simplex. Si verò accipias completè & totaliter, jam è duabus apprehensionibus velut extremis, & actu isto tertio velut unione coalescet, sicque non erit actus simplex, sed compositus. *Verùm* hæc Sententia vel idèò displicet, quòd contra communem ferè sensum Philosophorum neget actui, in quo propriissimè constituit Judicium, omnem

omnem vim cognoscendi, faciatque cœcum. Et verò h^{ic} Judicium Angelicum, ante quod ut plurimum non antecedunt apprehensiones, necessitudo cognoscitivum est, adeoque non consistit in unione tali intentionali duarum apprehensionum, ne sententiam ferat de re incognitâ; cur sit in nobis etiam tunc, cum objecta præviè apprehensa dijudicamus? Imò & nos fortè in rebus clarissimis non indigemus apprehensionibus præviis, sed continuò ad iudicium tale fas est accedere, quod & virtualiter sit apprehensio, & formaliter Judicium. Maneat ergo, quòd Judicium sit actus unus simplex, ab omni Apprehensione simplici ex modo tendendi proprio essentialiter diversus, isque cognoscitivus, ne sententiam ferat de rebus, tanquam cœcus de colore: Ita quidem, ut Intellectui sit assensus & dissensus, quod voluntati prosecutio & fuga, actus utique simplices, suumque habentes modum tendendi specialem. Hoc solum addo, me non velle tantùm id intelligi de Judiciis categoricis, sed & illis, quæ vulgò dicuntur composita, ut sunt copulativa, disjunctiva, conditionalia &c. neque enim dicuntur composita ex eo, quòd ex Judiciis formaliter pluribus componantur; sed quòd pluribus æquivalent, cum versentur circa objecta plura, quorum singula distinctis possent Judiciis attingi: Sicut apprehensiones dicuntur complexæ sive compositæ, non quòd ex distinctis apprehensionibus componantur; sed quòd ratione plurium objectorum æquivalent distinctis.

CXXXIV. Jam videamus, quid omnes isti contrà possint obmovere : *Dicunt* 1. Omne Judicium humanum est compositio ; non objectiva, hæc enim non est ipse actus, sed objectū, ergo formalis ; adeoque componitur ipsum ex subjecto, prædicato, & copula formali. *Sed R.* Judicium humanum est compositio activa & intentionalis, non passiva & physica, h. e. componit prædicatum objectivum cum subjecto objectivo, ipsum verò non componitur ex aliquo subjecto, aut prædicato formali, sed est actus unus & simplex. *Instant* : Tamen Propositio ab Aristot. dicitur resolvi in subjectum & prædicatum, tanquam in suos terminos : Resolutio autem est rerum compositarum solutio. *Sed R.* Id intelligendum esse de Prop. vocali ; nam in mentali non sunt termini re distincti, sed tantum virtualiter, in quantum unus ac idem indivisibilis actus, ut est præcisè representatio subjecti objectivi, dicitur subjectum formale, ut prædicati objectivi, prædicatum formale, ut copulæ objectivæ, copula formalis ; atque ita virtualiter esse triplex dici potest. Aliud est in Proposit. vocali, quæ cum vocibus constet materialibus, divisibiliter & successivè proferendis, necessariò requirit terminos re distinctos. *Dicunt* 2. Discursus componi potest ex tribus Judiciis, ergo similiter ex tribus Apprehensionibus Judicium. *Sed R.* Antec. juxta me falsum esse, si de Discursu loquantur, ut est præcisè tertia Mentis operatio ; unde sicut ista componi nequit ex secundâ, ita nec secunda ex prima, idque propter specialem

modum tendendi in singulis. Certè qui dato ad hoc argumentum Anteced. negant Conseq. hæc parùm videntur hujus Sententiæ robur conservare, eò quòd difficulter assignent disparitatem solidam & satis apertam.

V.

Habet pro objecto materiali connexionem objectivam ; pro formali eandem connexionem, saltem apprehensam intercedere prædicatum inter & subjectum, si affirmativa est ; Negationem verò talis connexionis, si negativa.

CXXXV. **O**bjectum, quantum huc pertinet, triplex est : *Primum* materiale, sive terminativum, estque illud, quod immediatè judicatur, h. e. directè affirmatur vel negatur ; *Secundum* formale seu motivum, estque illud, propter quod materiale sic esse vel non esse judicatur ; *Tertium* verificativum, estque illud, per quod actus Judicii, sive affimans, sive negans, verus redditur ; cui respondet falsificativum, quo redditur falsus. Et primò quidem, quod attinet ad objectum materiale, statuunt illud aliqui nuda extrema, subjectum scilicet & prædicatum objectivum secundum se, quæ ab actu Judicii affirmante intentionaliter & extrinsecè uniantur, ab actu verò negante dividantur : Sic, ut ipse actus Judicii vel sit Unio extrinseca, si affirmat, vel extrinseca divisio extremorum, si negat ; habeatque locum utrobique formalis copulæ, intercedentis inter extrema, quam in propositione vocali significet Verbum *Est*. Quòd si jam

N ;

extre-

extrema, quæ dicto modo extrinsecè unitæ
 dividit actus, sint intrinsecè & in se verè unitæ
 vel divisa, actum esse verum dicunt; si secun-
 falsum. Alii è contra objectum materiale cujus
 cunque propositionis, sive affirmantis, sive ne-
 gantis, statuunt identitatem vel connexionem
 objectivam extremorum, quam actus Judicii
 affirmans ex modo suo tendendi prosequatur
 & per modum annuentis approbet; negans
 verò reprobet, fugiatque per modum abnuen-
 tis. Et cum his facit præsens Assertio: cujus
 ratio est, quòd hæc identitas vel connexio, non
 verò nudum subjectum & prædicatum secun-
 dum se, sit illud, quod ab omni Judicio imme-
 diatè judicatur: Dum enim judico V.G. homi-
 nem esse animal, non nudè affirmo hominem
 & animal, hoc enim possum absque eo, quòd
 affirmem hominem esse animal, sicut affirmare
 possum hominem & lapidem, absque eo quòd
 affirmem, hominem esse lapidem: Similiter in
 actu negante, dum judico V.G. hominem non
 esse lapidem, non nego nudè hominem & lapi-
 dem, hoc enim possum, absque eo, quòd negem
 hominem esse lapidem; sicut negare possum
 hominem & animal absque eo, quòd negem
 hominem esse animal; sed neque affirmo per
 actum istum negationem Identitatis inter homi-
 nem & lapidem, cum Propositio affirmativa
 non sit, sed negativa: Est ergo aliud quid, quod
 actu priori affirmante affirmo, & posteriore
 negante nego, quod non est aliud, quàm iden-
 titas, sive connexio objectiva hominem inter
 & animal, iterumque hominem inter & lapidem;

sic

fic, ut illam actu affirmante prosequar approbando, hanc verò negante fugiam reprobando.

CXXXVI. Neque dicas 1. Hoc immediatè judicatur, quod immediatè affirmatur vel negatur; hoc autem non est ista identitas sive connexio, sed ipsa extrema; prædicatum enim est, quod affirmatur vel negatur de subiecto, ergo. *Nam neg. Min.* Hoc ipso enim, quòd prædicatum affirmatur vel negatur, non simpliciter & nudè, sed de subiecto, jam simpliciter & immediatè affirmatur vel negatur identitas, sive objectiva connexio prædicati cum subiecto, & ipse actus judicii dicit implicite: Datur, vel non datur Identitas inter prædicatum & subiectum. *Si urges:* Definiri tamen Prop. mentalem, quòd sit oratio affirmativa vel negativa alicujus de aliquo, ubi mentio quidem expressa fiat extremorum, sed non ita identitatis. *Jam* suprà dixi *Num. 131.* quid de hac Definitione sentiam. Nihilominus si & illà standum est, *Dico:* Satis innui Identitatem istam per tò *De aliquo*; Nam ut modò dicebam, hoc ipso quòd extrema non affirmantur vel negentur nudè & simpliciter, sed de se mutuò, jam simpliciter eorum identitas, sive connexio affirmatur vel negatur; dico simpliciter: neque enim tota identitas affirmatur de subiecto, sed solum prædicatum, loquendo formaliter, cùm objectum totale Propositionis non debeat affirmari vel negari de aliquo, sed unum parziale de altero partiali, ut ita totum affirmetur vel negetur simpliciter. *Neque dicas 2.* Si objectum dire-

directum Prop. affirmativæ est Identitas objectiva prædicati cum subiecto, quam in Prop. vocali significat Verbum *Est*; ergo à contrariis objectum directum Prop. negativæ, erit negatio Identitatis objectivæ, quam in Prop. vocali significet Verbum *Non est*; Sed hoc si ita est jam nunquam habebimus Prop. contradictorias, quia nunquam de eodem objecto materiali unam affirmativam, negativam alteram. *Nam n. seq. Maj.* Urriusq; enim objectum directum est eadem identitas, sed in quam affirmativa tendit approbativè & per annutum, negativa verò reprobativè & per abnutum mentis. Sicut volitio, quâ volo, & nolitio, quâ nolui peccatum, habent pro objecto materiali & directo idem peccatum, sed illa in peccatum tendit profecutivè, hæc verò averfativè. Unde jam quæcunque in Prop. vocali per verbum *Est* perpetuò significatur Identitas vel connexio objectiva extremorum, quia per ipsum perpetuò significatur id, quod immediatè & simpliciter indicatur. Quòd si jam huic copulæ vocali præfigatur *Non*, indicat actum mentis in hanc identitatem sive connexionem tendere per modum reprobantis, si secus, per modum approbantis. *Neque dicas 3.* Hinc sequitur, quòd objectum materiale harum Prop. *Homo est lapis, homo non est lapis*, sit Identitas ficta, alia enim non datur inter ista extrema; adeoque affirmativa erit vera, falsa negativa, eò quòd illa affirmet identitatem fictam inter extrema, quæ reverà intercedit, hæc autem neget. *Nam* objectum Propositionum istarum est identitas, quæ

quæ tunc & reipsâ ficta quidem est, sed à priori Prop. signatè affirmatur, à posteriore vero negatur tanquam vera & realis, ideoque prior falsa, posterior autem vera est. Contrarium esset, si Propositiones istæ identitatem illam fictam affirmarent, & negarent signatè tanquam fictam, tunc enim affirmativa vera, negativa autem falsa foret. Quando autem, universaliter loquendo, objectum Propositionum sit Identitas vera & realis, quando ficta & impossibilis, potius ad materiam de Ente rationis spectat. Universim illud breviter dici potest: quòd propositiones in materia necessaria, quantum est præcisè ex parte objecti materialis, de quo loquimur, sive affirmativæ sint, sive negativæ, habeant pro objecto identitatem veram ac realem; e contra si in materia impossibili, semper fictam & impossibilem. Sed de hoc magis & ex professo in Metaph.

CXXXVII. 2. Quod ad objectum formale seu motivum spectat, est illud respectu Prop. affirmativæ statuendum aliud ab illo, quod est respectu negativæ, cum eadem ratio formalis non moveat, & ad affirmandum, & negandum, h. e. & ad approbandum, & ad reprobandum. Dicit autem Assertio, illud esse respectu Propositionis affirmativæ, eandem Identitatem vel connexionem objectivam, quatenus illa saltem apprehenditur intercedere subiectum inter & prædicatum; negationem verò istius identitatis vel connexionis saltem apprehensam, respectu negativæ. Et rectè, hoc enim, quod me immediatè movet, & est ratio,

N s

cur

cur affirmem identitatem illam simpliciter vel
 velut objectum materiale, est hæc ipsa Identitas
 quam apprehendo verè dari subjectum int
 & prædicatum ; & hoc quod immediatè n
 movet estque ratio , cur negem illam ident
 tatem velut objectum materiale , est negat
 identitatis, quam verè apprehendo dari-nt
 extrema ; quâ geminâ apprehensione si Inte
 lectus meus est instructus, jam sufficienter e
 determinatus, sive ad affirmandum, sive ad n
 gandum : Sicut voluntas, instructa apprehe
 sione de objecti bonitate aut malitia, jam e
 expedita & sufficiens, sive ad amandum, si
 odiendum. Dixi: *Saltem apprehensa* : Nam
 necesse non est, talem identitatem, aut neg
 tionem identitatis reipsâ dari, sed satis, si inte
 lectus dari putet, sive per Apprehensionem
 sive per Judicium aliud prævium, quamvis r
 ipsâ fallatur : Sicut voluntas potest amare ve
 odisse objectum, quod apprehenditur aut judi
 catur esse bonum aut malum, quamvis re ips
 tale non sit : Vero autem evidenter cognito u
 tali non potest Intellectus dissentire, nec assen
 tiri falso cognito ut tali : Sicut voluntas non
 potest amare malum ut tale, aut bonum ut tal
 odisse. *Neque hinc inferas* : Apprehensionem
 vel cognitionem illam, quæ Identitatem, ve
 negationem Identitatis proponit Intellectui
 esse motivum parziale ipsius Judicii : *Nam ut*
 cognitio proponens voluntati bonitatem aut
 malitiam objecti, non est parziale motivum
 amoris aut odii, sed mera applicatio motiva
 formalis ad voluntatem, ita & hæc ad Intel
 lectum.

Quod

CXXXVIII. *Quòd si jam queris ex me 1.* Cur similitudinem effectuum & accidentium, quæ Intellectus observat in extremis, non tantam pro objecto motivo assensûs, & e contra Dissimilitudinem, pro motivo Dissensûs ?
 R. Quia non est hoc, quod proximè movet Intellectum ad Assensum vel Dissensum, sed tantum remotè, quatenus applicat proximum: Ex eo enim, quòd Intellectus advertat illam Similitudinem vel Dissimilitudinem, arguit identitatem, vel distinctionem extremorum, propter quam ultimò unum affirmat vel negat de altero. *Si queris 2.* Cur ipsos Propositionis terminos ritè apprehensos non ponam pro formali motivo tam assensûs, quàm dissensûs ?
 R. Quia termini quomodocunque apprehensi non magis possunt inclinare ad assensum quàm dissensum, nisi in illis appareat ratio quædam potius alliciens ad prosecutionem, quàm fugam; hæc autem ratio non est alia, quàm ipsa connexio objectiva terminorum, quæ proinde movet immediatè potius ad assensum, quàm dissensum; & contra, si appareat ratio contraria. *Si queris 3.* Quomodo Identitas illa vel negatio Identitatis, quæ sæpè est ficta & impossibilis, adeoque non Ens, movere possit ad assensum vel dissensum ?
 R. Movet, uti juxta Adversarios movent termini Propositionis, cum actu non existunt, V. G. in hac Propositione: *Anti-Christus est possibilis*: Per vim scilicet motivam, non physicam, sed intentionalem, ope specierum, quæ desumuntur à re possibili & positiva; sicut faciunt in illa Propositione, ope specie-

specierum, quæ defumuntur à re existente, ipsi termini secundum Adversarios. *Si queris +*
An non igitur omnis Prop. negativa, ex eo, quòd pro objecto formali habeat negationem Identitatis, quam approbet, sit pariter affirmativa, & sic resolvenda, V. G. Petrus non est lapis, quia datur negatio Identitatis, saltem apprehensa & apparens, inter Petrum & lapidem ? atque ita non dentur actus puræ fugæ in Intellectu, secus ac in voluntate ? **n.** **Dari posse, quòd omnis Prop. negativa sit pariter indirectè, & præcisè quoad objectum formale, affirmativa ; non verò simpliciter & directè, propter modum tendendi directum negativum in objectum materiale , à quo specificantur actus in ordine ad hoc, ut vel affirmativi absolute dicantur esse, vel negativi : Sicut actus voluntatis dicuntur esse prosecutionis aut fugæ, à modo tendendi directo in objectum materiale , quomodocunque tendant indirectè in objectum formale. Et hinc jam consequenter dari potest, nullos esse actus puræ fugæ, hoc est purè negativos, in Intellectu : Sicut multi tales negant in voluntate, hoc est, purè averfativos. Quòd si quis mallet eos in voluntate admittere, & nihilominus negare in Intellectu, posset hanc ex Card. de Lugo *Disp. 7. de Pœnit. Sect. 2.* dare disparitatem: quòd intellectus non fugiat aliter objectum, quàm negando ; & licèt neget Identitatem hominis cum lapide, quia falsa est, aut certè falsam esse apprehendit : ipsam tamen falsitatem illius non neget, sed approbet, asseratque, quia propter eam tanquam veram falsi-**

falsitatem negat identitatem. Econtra voluntas *dem* fugit malum propter malitiam, hanc *non* approbat, sed magis odit. Cujus ulterio-
rem a priori rationem petere posset ex modo operandi diverso hujus utriusque potentiz : nempe quòd voluntas ipsa non proponat sibi motivum suum, sed accipiat ab Intellectu propositum, quod si habet, ipsa simpliciter approbet aut fugiat ; Intellectus è contra ipse sibi proponat motivum suum, illudque semper approbet, quanquam si tendat actu negativo, illi quidem assentiendo, dissentiat objecto materiali.

CXXXIX. Tertio denique, circa objectum Propositionis verificativum non est specialis difficultas, sed ex dictis, respectu Propositionis affirmativæ, erit talis existentia Identitatis vel connexionis objectivæ extremorum, qualis esse per ipsam Propositionem asseritur : Et respectu negativæ, non existentia, sive negatio talis existentiz, qualis per ipsam esse negatur. Unde jam à contrario primum erit arguere objectum utriusque falsificativum. Ratio est, quia per hoc Propositio vera est, quòd objectum ejus ita se habeat, sicut ipsa enunciat ; & per hoc falsa, quòd objectum aliter se habeat, quàm ipsa enunciat ; cum ergo utriusque Propositionis objectum sit eadem identitas, sive connexio objectiva extremorum, quam affirmativa dari, negativa non dari enunciat, patet unde vera, aut falsa sit.

* * *

* *

ASSER-

206 **ASSERTIO VIII.**
LOGICALIS.

*Veritas formalis consistit in actu & ob-
jecto. Nulla Propositio potest esse simul
vera & falsa, aut neque vera neque falsa.
Aliqua potest de vera transire in falsam.
Una potest esse falsior alterâ, sed non verior.
Contradictoriarum singularium de futuro
contingente una est determinatè vera, altera
falsa, etiam præscindendo à Præscientiâ &
Decreto Dei.*

I.

Veritas formalis consistit in actu & objecto.

CXL. **V**eritas formalis (: prout est
contradistincta à veritate ra-
dicali vel existentiali, reperta in actibus Fidei
Divinæ, aliisque supernaturalibus, ratione
infallibilis principii, à quo non potest falsum
procedere, & ad quod actus isti dicunt res-
pectum transcendentalem :) est metaphysicè in-
tentionalis conformitas cognitionis cum ob-
jecto, de qua hîc quæritur, quid sit physicè? Et
ut opiniones aliorum minùs hac in parte cele-
bres saltem obiter memorando perstringam:
Sunt I. qui cum plerisque Thom. hîc recurrunt
ad suas Relationes rationis, quæis res ùt con-
cepta referatur ad se ipsam ùt existentem in se
à parte rei; sive jam concepta sit, sicut est in se,
itâque referatur ad se ipsam, quo casu respectus
ille erit formalis veritas; sive concepta sit ali-
ter ac est in se, itâque ad se ipsam referatur, quo
casu

casu erit falsitas formalis, confurgens inde respectus sive relatio rationis. Sunt 2. Qui cum *Boetio* sp. confugiunt etiam hinc ad modos superadditos, explicantes formalem veritatem per modum relationis prædicamentalis, quam ipsi in id genus modis universim constituunt. Sunt 3. Qui cum *Suar.* ponunt in sola entitate actus, sed ut connotante objectum ita se habens, plane sicut de Relatione prædicamentali loquebantur. Sed hi omnes partim ad materiam de *Ente Rationis* supra *Num. 20.* partim de *Relatione Num. 116. & seqq.* refutati sunt. 4. Sunt alii, qui veritatem volunt esse formam adæquatè actui vero extrinsecam, sic, ut nihil sit aliud, quàm objectum ita se habens. Sed hi omittunt alterum illud, ita se habens, uti enunciat *Propositio*; neq; enim qualiscunq; habentia objecti; sed talis, qualis esse dicitur ab actu, est veritas, sive forma denominans verum.

CXLI. Superest ergo duplex etiamnum celebrior *Sententia*: Una *Hurtadi*, ejusque sequacium: qui ex omni veritate, sicut & oppositâ eidem falsitate, eâque formali, respectum faciunt transcendentalem, qui soli actui realiter identificetur, velut fundamento suo; objectum verò ita se habens respiciat velut terminum extrinsecum. Alia magis communis aliorum, qui cujusvis indiscriminatim *Propositionis* formalem veritatem, uti & falsitatem, constituunt in actu, & objecto ita se habente, sicut actus enunciat, sic, ut habeat se per modum relationis prædicamentalis, eo modo, quo se habet similitudo inter duas albedines. Quod verò

verò etiam inter illos, alii quidam cum Giatt. viâ amant mediâ incedere, primum tenentes cum primis in propositionibus necessariò veris aut falsis ; secundum cum secundis in veris aut falsis merè contingenter ; quid aliud est, quàm utriusque partis non modò difficultatem, sed & invidiam pariter subire ? Ne dicam minùs loqui consequenter. Dirimendum itaque tandem est bivium inter hanc utramque viam extremam. Et Hurtado quidem in eo difficultatem patitur non vulgarem, ut rationem reddat, cur actus hic meus, quo V.G. dico : *Jam dormit Cæsar*, sit essentialiter connexus non tantùm cum somno Cæsaris, sed etiam reverà existente ? Sic, ut si ille jam non esset, non potuisset hic numero actus elici à me, utpotè cum elieitur, essentialiter pèrque suam solius entitatem verus ; sed omninò alius, qui, Cæsare jam non dormiente, foret essentialiter falsus. Certè, quisquis hoc impartialiter expendit, quidquid dicat Hurtado, animadvertet, ut credo, ipsum hìc deficere ; sicut autem ea res habet se in Prop. merè contingenter veris, ita ab his argumentando à pari, transimus ad illas, quæ planè necessariò sunt veræ, ex eo, quòd earum objectum nequeat aliter se habere. Quid enim ? Si, etiam per impossibile, aliter se haberet ? Subscribit igitur postremæ & cõjuniori Sententiæ Assertio nostra, contendens, illam conformitatem cognitionis cum objecto non posse ex aliis, quàm ex ipsa cognitione & objecto ita se habente, sicut illa enunciat, physicè coalescere, quemadmodum similitudo albedinis

A. CUM

essentialiter cum somno Caesaris revera existente. Sicut autem est in actu hoc contingenter vero, sic & in quovis alio, quantumvis verus necessario: Quis enim modus tendendi alius in actu, quo dico: *Homo est animal*, Si nesciente, per impossibile, homo animal necesse? Aut quis modus alius tendendi in actu quo nunc credo Fide Divina, dari Purgatorium, si hoc non existente, ego per impossibile actum elicerem eundem? *Urgens*. Certitudo formalis est actui adæquate intrinseca; ergo veritas, quia certitudo involvit veritatem. *Sed* r. Quod si certitudo accipiatur pro nuda adhesionem actus ad objectum, quod ex gravi pondere rationum apparet esse tale, vix aliter esse possit, aut etiam nequeat omnino esse aliter, prout est gradus certitudinis. *Ad* dari potest, sed tunc certitudo involvet veritatem tantum radicalem, & quidem præcisè quantum est ex vi talium motivorum. Si veritas Certitudo non accipiatur pro nuda adhesionem actus ad objectum, tale, sed ad objectum re ipsa ita se habens, sic ut actus non possit esse certus nisi sit re ipsa quoque formaliter verus, jam neque *Anteced.* ex dictis.

CXLIII. *Movens* 2. Actum esse verum, est actum assimilari objecto; hoc habet actus per suam essentiam, est enim per se talis representatio objecti: ergo. *Sed* r. Actum esse verum est actum assimilari objecto non in ratione pura imaginis & representationis, quod habet per suam solius essentiam, cum natura ejus sit esse talem imaginem, sive representationem.

objecti, sed est affimilari, h. e. conformari cum
 objecto ita se reverà habente, sicut actus enun-
 cit, quòd non habet per suam solius Essen-
 tiam, sed partialiter per ipsum objectum ita se
 reverà habens. *Urgent*: Hic actus: *Homo est*
animal, per suam solius essentiam repræsenteat
 objectum, sicut est, repræsenteat enim hominem
 esse animal, idque per suam solius Essentiam,
 sic autem homo est: ergo. *Sed R.* Æquivoca-
 tionem esse: Verum est, quòd actus per suam
 solius Essentiam repræsenteat, hominem esse
 animal, hoc enim distinctè dicit; sed jam, quòd
 homo reverà sit animal, non habetur per essen-
 tiam actus istius, sed ex natura ipsius hominis;
 undè cum utrumque requiratur ad Veritatem
 formalem actus, scil. & actum hoc repræsente-
 tare, & hominem hoc revera esse, non potest
 Veritas esse soli actui intrinsecà & essentialis.
Urgent iterum: Si veritas formalis actus consur-
 gat ex actu & ipso objecto, non est potior ra-
 tio, cur magis dicatur actus, quàm objectum
 verum, sicut quia similitudo albedinis A. ad B.
 consurgit ex utraque albedine, non est potior
 ratio, cur potius albedo A. dicatur similis albe-
 dini B. quàm contrà. *Sed R.* Quòd potior ratio
 stet idè pro actu, quòd hic non solùm habeat
 officium partialis formæ, sed etiam fundamen-
 ti, in tota denominatione veri, non sic obje-
 ctum. Cujus si vis rationem à priori, accipe:
 Verum & falsum important aliquid repræsen-
 tativum; unde dixit Arist. *Verum & falsum non*
esse in rebus, sed in Intellectu. Cui suffragatur
 etiam communis modus loquendi. Non sic est

in illa duplici albedine, quæ præterquam, quòd utraque rationem habeat partialis formæ, habere potest etiam perinde rationem fundamenti, prout nempe tibi placuerit significare. Plura quæ hic obmoveri possent, petenda sunt ex dictis de Relatione.

II.

Nulla Propositio potest esse simul vera & falsa, aut neque vera neque falsa.

CXLIV. **R**atio utriusque partis ex eodem petitur fundamento: Cùm enim Propositio vera sit, quæ enunciat objectum, sicut est; falsa, quæ enunciat aliter ac est, sive sicut non est; idem autem objectum non possit simul sic esse, & non esse, vel nec esse, nec non esse, ex Legibus Contradictionis; manifestum est, quòd eadem Prop. non possit simul esse vera & falsa, aut neque vera, neque falsa. Sed hoc quantumvis clarum videatur, nihilominus oblocutiones patitur haud parùm intricatas. Ad quas antequam accedam, alia quædam faciliora præmitto.

CXLV. *Dices itaque* 1. Veritas & falsitas tantùm opponuntur contrariè, ergo possunt stare simul, saltem absolutè. 2. Assensus & Dissensus circa idem, peccatum mortale & gratia sanctificans tantùm opponuntur contrariè, & tamen juxta multorum Sententiam absolutè nequeunt stare simul, quia licet formaliter non sint, trahunt tamen post se contradictionem: Ita prorsus in præsentì. *Urgebis*: Veritas & falsitas sunt accidentia, quæ Propositioni
contjn-

contingunt, ergo possunt ab eâ abesse. *Resp.* Utque determinatè quidem contingit Propositioni, sed alterutra debet necessariò contrariè ob rationem datam. Unde si non continet falsitas, necesse est convenire veritatem, & contrà. *Urgebis iterum*: Idem homo replicatus hîc & Romæ, dicat utrobique: *Hîc est Papa*, ista prop. Romæ vera erit, hîc falsa; ergo simul vera & falsa. *R.* Si cum homine replicato ponis ipsam quoque replicari Prop. quod aliàs fieri necesse non est: *Dico*: Prop. fore simpliciter veram aut falsam, prout fuerit sensus illius *Hîc* adverbialis: Si enim significat disjunctivè, & sensus est: *Papa est vel hîc Roma, vel hîc Colonia*, utrobique vera est Prop. Si collectivè, & sensus est: *Papa est & hîc Roma, & hîc Colonia*, utrobique simpliciter est falsa. Si singulariter, ita ut Romæ sensus sit: *Papa est hîc Roma*; Coloniæ verò iste: *Papa est hîc Colonia*, Prop. quidem Romæ vera erit, & falsa Coloniæ, sed non erit eadem, propter aliud objectum formaliter cognitum, unius, & alterius determinatè loci. Si denique significet præcisivè, & sensus sit: *Papa est hîc*, præscindendo ab *Hîc Romano & Coloniensi*, Prop. erit utrobique vera, utpotè ad quam satis est, Papam esse in aliquo *Hîc*, quocunque demum illo, sed de hoc magis paulò post. *Urgebis adhuc*: Currat ergo Petrus, & Paulus non currat, jam Propositionio, quâ dico: *Petrus currit, & Paulus currit*, erit simul vera & falsa, quia conformis uni, & difformis alteri objecto. *R.* Erit simpliciter & tantùm falsa, ut enim vera dicatur, debet toti

objecto suo conformari, ut falsa, satis est difformari vel in unico, est enim actus Judicii una indivisibilis tendentia in objectum totale, cui vel conformari, vel difformari debet; & si usquam alibi, certè hîc valet: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu est.*

CXLVI. *Dices 2.* Hæc mea propositio: *Ego nunc dico falsum*, est simul vera & falsa: imprimis enim, si est falsa, verè se dicit esse falsam, & consequenter etiam vera est, quia enunciat objectum sicut est. Deinde si est vera, verè dicit, se esse falsam, & consequenter etiam est falsa, aliàs non posset hoc verè de se dicere; atque ita, quidquid dicas, vera simul est & falsa. *Resp.* Licet talis propositio possit ore proferri, nequit tamen mente fieri, quia nullum habet objectum à se distinctum; non potest autem cognitio creata esse adæquatè & distinctè reflexiva super se ipsam. Imo diceret talis actus, *Ego sum verus*, quia verè dico me esse falsum, quod non potest mente fieri, quia idem actus verificaret & falsificaret se ipsum. *Urgebis:* dicat ergo Petrus: *prima propositio Pauli erit falsa*: habeat autem Paulus hanc propositionem: *propositio Petri est vera*: hoc casu propositiones istæ erunt simul veræ & falsæ, ve neque veræ neque falsæ. Si enim propositio Petri est vera, propositio Pauli erit falsa, qui hanc falsam esse, verè dicit, propositio Petri. Si autem propositio Pauli falsa est, ergo falsus est, quod propositio Petri sit vera, & consequenter erit propositio Petri falsa, atque simul vera & falsa. Idem est si veritas. *R.*

qu

quidem tales propositiones mente formari possunt, obrationem paulò ante datam, dico, utramque simpliciter falsam esse, quia de sub-
jecto non supponente: supponit enim utraque, quod habeat objectum à se distinctum, per quod verificetur, aut falsificetur; quod in casu posito uestra haberet, quia verificarent & falsifica-
rent ambæ se mutuò, neque præter ipsas aliud foret objectum, aut verificans, aut falsificans, ut patebit consideranti. Plura qui circa tricas istas cupit, videat Haunold. Log. pract. & Sotum in speciali de his Tractatu.

III.

Aliqua potest de vera transire in falsam.

CXLVII. **U**T quæstio locum habeat, suppo-
nenda quædam sunt pro habenda statûs constantia. 1. Quòd actus idem Judicii possit ad plura instantia temporis continuari, adeòque non identificetur cum ipsa duratione sui, saltem tali, quæ sit unico solùm instanti essentialiter affixa. 2. Quòd veritas non sit actui adæquatè intrinseca & essentialis, ut dictum N. 141. patet enim, quod non possit actus mutare suam essentiam. 3. Quòd non quæratur de propositionibus necessariò veris, in his enim cum objectum nequeat aliter se habere, constat, nunquam falsas esse posse; sed tantùm de contingenter veris: an talis aliqua, postquam semel est vera (nam quæ nunc vera est, potuisse statim à principio eandem numero esse falsam, si nempe objectum aliter se tunc habuisset, facile concedunt illi, qui veritatem ipsi statuunt:

partim extrinsecam & contingentem) possit de in variato objecto, eadem numero fieri falsa quod in utramq; partem acerrimè ab Authoribus disputatur, & in quo præsens assertio partem tenet affirmativam.

CXLVIII. Quæ tamen priusquam possit solidè stabiliri, *Præsciendum est.* 1. Aliud esse objectum propositionis per se & formaliter, aliud per accidens & denominativè cognitum. Illud est, quod formaliter & distinctè actus exprimit; hoc autem, quod vel propter realem identitatem, vel propter naturalem physicamque cohærentiam, certo modo conuexum cum illo, necesse habet simul cum ipso eodem actu attingi, esto formaliter & distinctè non exprimatur ab actu. V. G. si cognoscis hominem in ordine ad sensationes tantùm, objectum formaliter cognitum est animal; quod verò eum hoc realiter idem est rationale, aliæque prædicata hominis, sunt objecta solùm cognita denominativè & per accidens. Porrò mutato objecto formaliter cognito mutari necessariò cognitionem, nemo dubitat; secus, si mutetur objectum tantùm denominativè cognitum: & quamvis objectum illud denominativè attactum sæpe sit realiter idem cum attacto formaliter, adeòque variato illo, necesse sit variari & hoc in se, & quo ad statum realem; potest tamen etiam illo variato, idem manere intentionaliter, & prout apparet in cognitione quia scilicet eodem modo pergit ab actu representari, quidquid in ipso fiat mutationis parte rei.

CXLIX. Praesciendum 2. Propositionem in materia contingente, de qua hic loquimur, duplex importare tempus : *Unum* ex parte *subjecti*, sive *subjectivum*, h. e. illud, in quo exercitè se dicit esse Propositio; *Alterum* ex parte *copulae* *objectivae*, sive *objectivum*, pro quo enunciat objectum esse vel non esse Propositio. Primum semper est praesens, omnis enim Propositio, cum fit, dicit exercitè, se esse nunc, h. e. in tempore praesenti : Alterum potest esse vel praesens, vel praeteritum, vel futurum, prout objectum diversimodè fuerit commensuratum tempori, in quo existit Prop. Unde Prop. de praesenti V. G. *Petrus currit*, sic est resolvenda : *Ego sum nunc, & mihi coexistit cursus Petri.* Prop. de praeterito V. G. *Petrus cucurrit*, Sic : *Ego sum nunc, & ante me fuit cursus Petri.* Demum de futuro V. G. *Petrus curret.*, Sic : *Ego sum nunc, & post me erit cursus Petri.*

CL. Praesciendum 3. Utrumque hoc tempus, tam *subjectivum*, quàm *objectivum*, posse propositionem significare vel disjunctivè, vel collectivè, vel singulariter, in quorum nullo sensu potest de vera transire in falsam. Quidquid enim horum posueris semel verum, nimirum quòd Petrus currat, vel aliquo indeterminate Instanti, vel omni Instanti, vel hoc singulari & determinato Instanti A. in quo existit Prop. nunquam deinde falsum fieri poterit, ut patebit consideranti. Sed praeter hunc triplicem modum significandi tempus V. G. praesens, tam ex parte *subjecti*, quàm *objecti*, potest insuper significari quarto modo, nimirum confuse, & sub

sub ratione præcisâ temporis præsentis, sic, ut præscindat ab omni disjunctione, copulatione, & singularitate, planè ut supra Num. 82. accipi posse diximus tò *Homo* in hac Prop. *Petrus est homo*. Cùm enim tempus ut sic sit genus respectu temporis præsentis, præteriti, & futuri, uti animal respectu hominis & bruti; Tempus verò præsens, sive *Nunc*, species respectu hujus & istius *Nunc*, pro eodem Instanti possibilis existere: (ne tempus ut sic fiat genus immediatè iudividuatum:) Sicut homo respectu Petri & Pauli; poterit similiter in hac Prop. *Petrus currit nunc*, accipi præcisivè tò *Nunc*, sicut in hac: *Petrus est homo*, tò *homo*. Hinc jam fit, quòd Prop. de præsentis V. G. *Petrus currit*, habeat pro objecto formaliter repræsentato tempus præsens specificè & præcisivè acceptum; illud verò determinatum Instans individuale, quod ipsi coexistit, pro objecto tantùm per accidens & denominativè tali, per quod ipsa de factò, si vera est, non quidem ex natura Propositionis, sed quia defactò aliud nullum ipsi coexistit, determinatè verificetur. Et quoniam variato solo objecto per accidens & denominativè tali, manere potest eadem numero Propositio; jam si contingat illud variari, variabitur objectum Propositionis verificativum; & consequenter manens eadem numero Prop. quæ Instanti A. prolata, Petro tunc currente, vera erat, fiet Instanti B. Petro tunc non currente, falsa.

CLI. His positis, aperta jam via est ad probationem assertionis: quò primò placet autho-
rita

ritatem adducere Philosophi ac D. Th. quorum primus in Categ. Cap. de Subst. sic habet : *Si nec est oratio, sedere aliquem, cum is surrexerit, hæc ipsa oratio falsa erit.* Idem docet ibid. de Opinione, quòd modò eadem possit esse vera, modò falsa. Et quamvis hoc aliqui interpretentur de oratione solùm vocali ; Alii dicant, Aristot. locutum non fuisse ex sensu proprio, sed ex supposito alieno ; & iterum alii intelligent de Propositione, non physicè, sed tantùm moraliter, & insensibiliter eadem : Attamen D. Th. optimus Aristot. Interpres, explicat in sensum nostrum, i. p. q. 14. a. 15. sic loquens : *Sequeretur ex ea (: Sententiâ quorundam antiquorum :) quòd Propositio, qua semel est vera, esset semper vera ; quod est contra Philosophum, qui dicit, quòd hæc oratio : Sortes sedet, vera est Eo sedente, & eadem falsa est, Eo surgente.* 2. Nullitatem ostendo præcipui Fundamenti partis adversæ : Si Prop. semel vera, non posset deinde fieri falsa, esset ex eo, quòd actus manens idem nequeat mutare objectum suum, & modò hoc, modò aliud tempus significare, ut deberet, si de vero transfiret in falsum ; sed hæc ratio nulla est : Nam sicut Instanti A. Prop. prolata dicit : *Petrus currit nunc*, accipiendò *Nunc* præcise & specificè ; ita perget idem dicere prolata Instanti B. itaque constanter retinebit idem objectum formaliter & per se representatum. Nihilominus mutabit objectum denominativè cognitum, & cum illo verificativum, quia *Nunc*, quod reverà illi primò coexistit, est instans A. quod verò coexistit secundo, non est

FR-

Instans A. sed B. in quorum primo, cum sit cur-
 sus Petri, in secundo non sit, ut ponimus, jam
 primo Instanti Propositio vera est, quia in ali-
 quo Nunc ipsi coexistit cursus Petri, & eadem
 in secundo falsa, quia nullo prorsus Nunc
 cursus Petri coexistit. Hinc jam tertio demum
 deducitur ratio positiva positæ Assertionis
 hæc Prop. *Petrus currit*, protracta ad 2. Instan-
 tia, in quorum primo Petrus currat, in secundo
 non currat, est primo Instanti conformis obje-
 cto, quia enuntiat objectum, sicut est; in secundo
 disformis, quia enuntiat aliter, ac est; ergo
 primo Instanti vera, secundo falsa. *Ene dicas*
 Propositionem, Petro in 1. Instanti currente
 esse semper veram, quia quantumvis protraha-
 tur, significat semper Petrum currere pro isto
 Instanti. *Contra* est, quod sicut id à te asseritur
 ita negatur à nobis ex *Num. preced.* Certè Pro-
 positio illa, priusquam eliceretur, indifferens
 erat, ut vel primò fieret Instanti A. vel B. adeo-
 que ut significaret alterutrum; cur ergo non
 similiter, si utroque Instanti daret? Et cur ex-
 istens Instanti 1. significat Instans primum, nisi
 quod ipsa tunc sit, & copula sit de præsentis? Si
 ergo pergat ipsa esse etiam Instanti secundo, &
 tunc copula pari modo sit de præsentis, cur non
 similiter tunc significabit Instans secundum, non
 quidè formaliter, sed denominativè & per acci-
 dens: sicut existens in primo significabat primū
 non formaliter, sed denominativè & per accidēs

CLII. Atq; ex his jam facilis est resolutio eo-
 rum, quæ moventur à parte adversa. quod eni-
dicunt 1. Non posse propositionem mutar
 obje

objectum suum: verum est de objecto formaliter per ipsam representato secus de objecto tantum denominativè tali. *Quod dicunt 2.* Cognitionem esse vitalem tendentiam in tempus præsens : verum est de tempore præsenti specificè, non individualiter accepto, utpote in quod formaliter & distinctè satis, hoc est, illud discernendo à quovis alio, tendere non potest, defectu specierum ad hoc unicè determinantium. Hoc faciliùs dabo, quod sæpè nos, cùm nequeamus aliter, per adjectum syncategorema demonstrativum velimus huic certo tempori mentem atque propositionem nostram alligare, & quod si fiat, propositio talis nequeat de vera transire in falsam: sed hoc non obstante, possumus significare tempus præsens specificè, etiam subratione *Nunc*, vel hujus temporis, non alligando sic mentem ad hoc unum individuale instans, quod jam fluit, sed præscindendo tū ab isto, tum à cæteris omnibus nunc, pro eodè tempore possibilibus existere; quod si fiat, jam propositio poterit de verâ transire in falsam, si nempe secundo instanti, pergat simili modo significare tempus præsens specificè, & tunc aliter se habeat objectum. *Quod dicunt 3.* Posse ergo similiter accipi præcisivè *Tò hic* adverbiale, quatenus nimirum præscinditur ab *hic Romano*, *Coloniensi* &c. atque ita si Petrus præsente Romæ quæreret ex me aliquis Colonia, est ne Petrus hic? dicturum me verum, respondendo, est hic, quia saltem est in aliquo hic, contento sub hic specificè & præcisivè accepto, nempe Romano: hoc totum dari

ri potest, quanquam in communi usu loqueri non soleant homines adeò subtiliter interrogare, ut perejusmodi subtilitates philosophicas fieri debeat responsio; multòque habeamus fundamentum amplius ita præscindendi nunc, quam tò *hic*; propter species, quas habemus magis restringentes ad locum certum quam tempus. *Quod dicunt* 4. Posse ergo militer etiam tò *hic* pronominale accipi specificè, atque ita in hac propositione: *Petrus hic homo*, totum prædicatum fore universale dari & hoc potest: quid enim? si posito anteculostuos Petro, diceres: *Hic homo est Petrus*, deinde Deus, substituto Paulo in locum Petri relinqueret eandem planè apparentiam extenam, & tu deinde pergeres, eadem propositione dicere: *Hic homo est Petrus*; an non subjectum propositionis tuæ primò significaret Petrum, quamvis ex parte subjecti denominativè tantum, & secundò Paulum? primòque vera, fieret deinde falsa? Certè si quis dicat ante consecrationem: *hoc est panis*, verum dicit; verò continuat propositionem usque post consecrationem, falsum dicit, est ergo tò *hoc* perinde capax ad supponendum pro utroque, saltem denominativè, primò pro substantia panis, secundò pro Corpore Christi, & consequenter ab utroque præscindi potest; si autem tò *hoc* neutraliter, cur non & tò *hic* masculinè?

CLIII. Sed audiamus tandem, quid præcipuè obmoveant cum Ovied. *Dicunt*: Ut illa Prop. sit semel vera, debet currere Petrus pro tempore importato per copulam; sed semel

hoc

hoc supposito, non potest fieri falsa, quiaposito
quod currat pro illo tempore, non potest non
currere pro illo tempore, sicut deberet non
currere, ut Prop. fieret falsa: ergo. *Sed* prompta
etiam ad hoc est *Resp.* Quod, ut vera semel sit
Prop. debeat Petrus currere pro tempore per
copulã importato, sed non in omni tempore, in
quo existit prop. Sicut ergo potest Petrus cur-
rere instanti A. & si facit, currit pro tempore im-
portato per copulam propositionis existentis
instanti A. ita potest non currere instanti B.
quod si fit, jam Petrus non currit pro tempore
importato per copulam propositionis existen-
tis instanti B. & per consequens Prop. quæ
instanti A. erat vera, fit instanti B. falsa. *Urgens:*
propositio in primo Instanti existens impor-
tat existentiam cursûs in omni tempore, quod
importat copula existens in quovis Instanti
ulteriori, copula enim in omni tempore habet
significationem eandem, & importat tempus
idem; ergo cum copula etiam aliis Instantibus
istis existens importet alia ista Instantia, etiam
importabit illa existens in primo instanti pro-
positio; & consequenter, si vel uno ex istis
instantibus Petrus non currat, erit ab initio &
semper falsa. *Sed R. N. Ant.* Nam sicut propo-
sitio, in primo instanti existens, dicit Petrum
currere tempore præsentis, ita dicit idem ex-
istens instanti secundo, atque ita retinet idem
objectum formaliter repræsentatum. Mutat
tamen objectum denominativè cognitum, quia
tempus præsens in primo instanti præscinditur
à cunctis instantibus tunc propositioni possibi-
liter

liter presentibus, inter quæ non sunt exitura postmodum, & tunc futura eidem presentia, ut quæ repugnat coexistere propositioni existenti in primo instanti. Similiter in 2. Instanti tempus presentis præscinditur ab iis, quæ sunt possibiliter presentia proposit. tunc existenti, inter quæ non sunt illa, quæ priori instanti poterant propositioni tunc existenti coexistere, vel adhuc deinceps coexitura sunt, ob eandem rationem, & sic deinceps. Unde jam *Vides*, cur prop. ab initio & semper falsa non sit, si vel uno ex omnibus istis instantibus, quibus ipsa continuatur, Petrus non currat; & iterum si vel uno ex istis omnibus, Petrus currat, cur non sit ab initio & semper vera, prout nempe placuerit tibi vel collectivè eam exponere, vel disjunctivè, relatè ad cuncta hæc Instantia; sed potiùs de vera transeat in falsam, si 1. Instanti, quo fit, Petrus currat, secundo autem, quo continuatur, non currat: quia scil. cum objecto merè denominativè cognito, mutat quoque objectum suum verificativum, esto retineat idem formaliter, etiam ex parte copulæ.

CLIV. Atque ex his, jam *Deduco* 1. propositionem affirmativam de præterito v. g. *Petrus cucurrit*, posse de falsa mutari in veram, qui potest Petrus 1. Instanti propositionis adhuc non cucurrisse, ac dein currere; non contrà de vera in falsam, quia supposito, quòd semel Petrus cucurrit, nunquam fieri poterit, ut non cucurrit, nisi fortè restrictionem aliquam adicias, dicendo v. g. *Petrus cucurrit usq; modo* 2. prop. negativam de præterito posse de ve

mu

mutari in falsam, non contrà de falsa in veram ob rationem eandem. 3. Propositionem affirmativam de futuro, V. G. *Petrus curret*, posse de vera mutari in falsam, si enim semel vera est, quia instanti proximo Petrus curret; hincin protrahatur ultra instans illud, & tunc Petrus non curret amplius, erit falsa, non contrà de falsa in veram, si enim semel est falsum, quòd Petrus curret, nunquam deinde Petrus curret. 4. Prop. negativam de futuro posse de falsam mutari in veram, non contrà de vera in falsam, ob rationem eandem. 5. Quod de Instantibus hucusque dictum est, ex paritate rationis dicendum esse, de horis, diebus, mensibus & annis, ut quæ similiter confuse possunt & præcisivè significari. Unde hæc Prop. *Petrus sedet horâ præsentis*, si ad duas horas protrahatur, quarum primâ Petrus sedeat, secundâ non sedeat, de vera poterit transire in falsam; & contrà, si contrarium accidat; atque ita de cæteris.

IV.

Una potest esse falsior alterâ, sed non verior.

CLV. **U**T Propositio simpliciter vera sit, debet objecto conformari per omnia eo modo, quo enuntiat ipsa; ut verò falsa, satis est vel in unico difformari: Sicut actus voluntatis, ut simpliciter bonus sit, debet undequaque talis esse; ut verò malus, satis est, vel in una tantùm circumstantia viciari. Nam *Bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu*. Cùm ergo nequeat Propositio magis

Logica. ■ objecto

objecto suo conformis esse, quàm si conforme-
 tur per omnia, hinc si una est simpliciter vera,
 nequit dari altera magis vera ; cùm è contra
 possit difformari magis, recedendo longius ab
 ista conformitate omnimoda, & sic una esse
 falsior altera. *Nec refert*, quòd actus unus
 voluntatis possit altero non tantùm esse peior,
 sed etiam melior : *Nam* sicut malitia, sic &
 bonitas à variis adjumentis potest in actum vo-
 luntatis derivari. Sed & ipse à proprio modo
 tendendi majorem potest, minoremve accipe-
 re : Non sic actus Intellectus, ut præcisè verus
 est, hic enim præcisè trahit veritatem omnem
 ex objecto ita se habente per omnia, sicut ipse
 enunciat habere, quod si ita est, non potest esse
 magis, quamvis possit esse minus, si in pluribus
 difformetur : Unde veritas habet se per mo-
 dum æqualitatis, falsitas verò per modum inæ-
 qualitatis : Sicut ergo æqualitas dicitur in
 indivisibili consistere, quia sive addas aliquid,
 sive demas uni, non manet æqualitas ; ita veri-
 tas consistit in indivisibili, quia sive dicas quid
 amplius, sive minus de objecto, quàm reverà
 sit, non manet veritas. Et è contra, sicut inæ-
 qualitas potest esse major aut minor, prout sci-
 licet plus, minusve receditur ab æqualitate, ita
 potest una falsitas esse major aut minor altera,
 prout plus minusve receditur à veritate. Et
 hoc si constanter præ oculis habueris, Argu-
 menta, quæ hinc fieri possent omnia,
 quamvis minimè difficilia, nullo
 negotio dissolves.

V.

Contingentiarum singularium de futuro contingente una est determinatè vera, altera falsa, etiã præsciudendo à Præscientia & Decreto Dei.

CLVI. **C**ertum est, Propositiones de futuro contingenti absoluto, non posse realiter ullam habere determinatam veritatem aut falsitatem ante omne Decretum Dei, quia reverà objectum earum erit, vel non erit dependenter, & post Decretum Dei: Sive enim erit, sive non erit, erit aut non erit dependenter à suis causis, quas inter utique recensendum venit Decretum Dei, applicantis, vel non applicantis suum concursum causis secundis: jam autem veritas aut falsitas propositionis de futuro, desumitur inadæquatè ab objecto futuro, vel non futuro; ergo. Alia igitur lis est, quæ tum acriter fervet Nos inter & Thomistas, eoque recidit, an ut prop. de futuro vera possit denominari, necesse sit, intelligere Decretum aliquod Dei, & quidem pro eo signo existens, in quo ipsa formatur, denominaturq; vera: Sic, ut ipsum Dei Decretum intrinsecè constituat futuritionem objecti, & consequenter ipsam propositionis veritatem? Quod affirmant Thomistæ, desumentes omnem rei futuritionem à causa, quam complent per Dei Decretum physicè prædeterminans. Negant verò AA. Societatis, contendentes, ad hoc, ut propositio etiam nunc denominetur vera, sufficere, quòd objectum non sit jam, & sit postea, idque præsciudendo ab omni Decreto Dei,

ASSERTIO VIII.

saltem quòd intelligatur esse tunc, cum propositio vera denominatur, esto dum objectum fit postea, reverà fiat dependenter ab aliquo Decreto. Unde & Ipsi statuent duplicem futuritionem : Unam causalem & extrinsecam, quæ desumitur à causa ; alteram formalem & intrinsecam, quæ est non esse rei jam, & esse postea , à quacunque demum causa fit postea, non dicit, sed præscindit. Atque ab hac futuritione formali & intrinseca ipsius rei desumunt veritatem aut falsitatem propositionis de futuro, non ab ista causali.

CLVII. Et quoniam in ista Distinctione duplicis futuritionis, totius ferè litis cardo volvitur, operæ pretium erit, illam aliquantò solidius in antecessum stabilire. Ut itaque non mutuò intelligamus : Futuritionem causalem dicimus, determinationem rei non existentis nunc, ad existendum postea, quæ sit in causa illius, hoc est, inclinationem causæ ad effectum postea producendum, quæ inclinatio licet præ se ipsa sit præsens modò, est tamen futuritiæ effectûs, utpotè ad quem est ut postea producendum. Potest autem hæc futuritio rei causalis magis esse vel minus infallibilis, prout major minorve fuerit ista causæ inclinatio ; imò fieri potest, ut verè res sit futura in causa, quæ tamen in se nunquam erit, eò quòd ista præsens inclinatio causa postea dissipabitur, & ipsa nunquam producet Effectum. Formalem verò futuritionem dicimus, ex his duobus coalescere, nimirum ex negatione rei jam, & illius existentia postmodum ; ubi nulla fit ullius cau-

multoque minus causa rei, est
 terminans non existentem jam,
 postea: sed prioris partis forma
 negatio rei, posterioris vero
 causa; esto hæc postmodum esse
 rei: Et hac futuritione quid-
 am infrustrabiliter erit postea.
 Sed est hæc Distinctio duplicis
 terminis ad mentem Arist. ac D.
 2. de Generat. distinguit inter
 futurum est: Per tò Erit, intelli-
 gere in se, quam formalem di-
 cturum verò futuritionem rei
 dicimus causalem. Sic habet
 sed si verum sit dicere, quod erit,
 quandoque verum, quod est (: quia
 iam erat :) Quod autem nunc
 quod futurum est (: in causa :)
 futurum esse, quia causa ejus potest
 verò 1. p. q. 86. a. 4. O. ait, quòd
 cognosci possint, & in se, & in
 12. de Prophet. A. 10. ad 7.
 potest dici esse futurum, non
 ita erit (: Ecce futuritionem
 est :) Sed quia ita ordinatum est
 ut futurum. Ecce futuritio-
 Pergit hoc deinde S. D. exem-
 plicus dicit: ille sanabitur, &
 aliter contingat, non ideo falsum
 futurum erat ex ordine causa-
 possibile est impediri. Tandem
 nunc, quod prius futurum erat
 aliter: consequenter non erit,

ASSERTIO VIII.

intellige, in se & formaliter. Rursus 2.2. q. 17. a. 6. ad 2. sic loquitur: *Divina Præscientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in se ipsis, & secundum quod sunt in causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus.* Deinde est hæc Distinctio etiam secundum rationem: Sicut enim præterita formalis est negatio rei jam, & existentia illius antea; ita futuritio formalis est negatio rei jam, & existentia illius postea; & sicut eo præcisè, quod jam non sit, & antè fuerit Adæ peccatum, *Propositio: Adam peccavit*, determinatè vera est, etiam præscindendo ab omni Decreto Dei, imò si per impossibile Deus nullum omninò Decretum habuisset circa peccatum Adæ; sic etiam ex hoc, quod jam non sit, & postea peccatum Anti-Christi, *Propositio Anti-Christus peccabit*, est nunc determinatè vera, etiam præscindendo ab omni Decreto Dei, imò si, per impossibile, Deo nihil circum ipsum decernente, illud, cum jam non sit, esse postea. Hic si possunt, dent solidam disparitatem Thomistæ: Quod enim dicunt, rem præteritam habuisse aliquando determinationem ad esse, secus futuram, si hæc à suis causis præscindatur: ad rem non facit; nam sicut res præterita eam aliquando habuit, & quidem formaliter à se, præter eam, quam causaliter habuit à causis suis; ita res futura habebit eam aliquando, causaliter quidem à causis suis, se formaliter à se ipsa. Si ergo res præterita, non obstante eo, quod jam nullam habet determinationem actualem, sed tantum habuit, potest

tam

namque jam verificare Propositionem de præterito; cur nequeat res futura, esto jam non habet, vel potius intelligitur habere, determinationem ullam actualem, sed habebit aliquando, verificare jam Propositionem de futuro? Certè D. Th. q. 1. de Verit. a. 5. ad 6. hujus vim paritatis agnovit, ubi ait: *Dicendum, quòd id, quòd est futurum, in quantum est futurum, non est, & similiter præteritum, in quantum hujusmodi. Unde eadem est ratio de veritate præteriti & futuri.*

CLIX. Atque hæc sit prima positæ Assertionis probatio. Altera est, quòd ex his Propositionibus: *Petrus cras peccabit: Petrus cras non peccabit*, una determinatè sit conformis objecto, altera determinatè difformis, quia necessariò Petrus cras faciet alterutrum, cùm neque possit utrumque simul, neque neutrum, ex vi contradictionis. Ponamus ergo, quòd reverà cras peccabit: Jam prima est hodie determinatè vera, idque præscindendo à Decreto Dei: licet enim, si Petrus cras peccet, id utique facturus sit dependenter à Decreto Dei permissivo, hoc tamen necesse non est, intelligi pro eo signo & tempore, in quo fit propositio, sed satis est, si ponatur esse cras; unde si per impossibile Deus hodie adhuc nihil decrevisset, decerneret autem cras, concurrere cum Petro ad peccandum, propositio mea etiam hodie vera foret, quia enunciaret objectum, sicut reverà futurum est, non quidem pro hodie, sed pro cras. His accedat probatio tertia: Faciamus has propositiones pro signo rationis aliquo anteceden-

cedente Decretum Dei : Deus producet Mundum, Deus non producet Mundum, harum unum necesse est, ut sit vera, altera falsa, quia alterutrum necesse est, ut pro signo rationis consequente decernat Deus : Atqui hæc veritas & falsitas est independens à Dei Decreto, ut patet, quia antecedens omne Decretum Dei : ergo. Denique sit probatio quarta : Omnis propositio vera est vel falsa independenter ab omni eo, quod non est objectum verificativum aut falsificativum ipsius ; aliàs dicam, quod hæc propositio : *Pariet est albus*, sit vera dependenter non à Decreto tantum, sed & à Scientia & Omnipotentia Dei, quia & sine his albedo non est in pariete : atqui Decretum Dei non est objectum verificativum aut falsificativum propositionis de futuro V. G. *Petrus cras peccabit*, sicut non est hujus de præsentis : *Petrus jam peccat*, etsi dum peccat actualiter, id faciat dependenter à Decreto Dei permissivo ; veritas enim propositionis de futuro, sicut & de præterito, regulatur juxta veritatem propositionis de præsentis : ergo. Sed jam lubet audire vicissim Adversarios.

CLX. *Dicunt primò* : Nunc est verum dicere : *Anti-Christus est futurus*, fuitque verum ab æterno : ergo futuritio Anti-Christi est nunc, fuitque ab æterno : Sed pro forma illa, quæ sit nunc, fueritque ab æterno, aliud nihil assignari potest, quàm Decretum Dei ; ergo hæc est forma denominans futurum ; ergo præcindendo ab hoc nihil est futurum, adeoque nulla propositio de futuro vera vel falsa. *Sed ad hoc facilis*
om.

omnino est *Resp.* Quòd futuritio Anti-Christi
hanc, fueritque ab æterno inadæquatè, ni-
 rum quoad negationem ejus jam, & ab æter-
 na, quatenus non existit jam, sed neque extitit
 ab æterno ; nequaquam adæquatè, & quoad
 existentiam ejus postea. Nihilominus etiam
 secundùm quòd non est jam, potest dare jam
 denominationem logicam futuri ; sicut res
 præterita, etiam secundùm quòd non est jam,
 dare potest denominationem logicam præte-
 riti, & Anni pridem elapsi dare jam possunt
 domui denominationem antiquæ. *Urgens :*
 Anti-Christus postea non est futurus, sed præ-
 sens ; ergo non potest ingredi futuritionem
 sui, secundùm hoc, quòd est postea, quomodo
 enim aliquid futuritionem destruens ingredie-
 tur ipsam intrinsecè futuritionem ? *Sed* ~~ne~~
 Quòd Anti-Christus postea non sit futurus, sed
 præsens, relatè ad illud solum Instans, in quo
 erit, secus, relatè etiam ad Instans illud, in quo
 effertur Propositio ; si enim ad hoc quoque
 referas, verè futurus est, per hoc præcisè, quòd
 jam non sit, & sit postea. Atque ita futuritio-
 nem Anti-Christi ingreditur aliquid, quòd
 destruit futuritionem, non pro nunc, sed pro
 tunc, cum est. Et hanc futuritionem formalem
 quamdiu non evertunt Thomistæ, nihil agunt.

CLXL *Dicunt secundo :* Præscindendo &
 antecedenter ad decretum Dei, res non est ma-
 gis futura, quam non futura, sed ad utrumque
 indifferens ; ergo propositio enuncians eam
 determinatè futuram, non potest præscinden-
 do, & antecedenter ad Decretum Dei esse

vere, quia verificari debet per objectum futurum. Sed & quod ant. in sola voce, præsci-
dendo, sit absolutè falsum, quia præsciend-
à Dei Decreto habetur futuritio formalis re-
quia tamen additur, & antecedenter ad dec-
tum Dei, transmitto ant. nego conseq. quæ te-
nere non potest, nisi apud sententia nostræ pa-
rum intelligentes. - Dicimus cum Thomisti
nihil esse futurum verè ac realiter, nisi con-
sequenter ad decretum Dei velut causam; hoc tu-
men non obstante contendimus, propositio-
nem nunc etiam, & priori rationis ad de-
cretum Dei, esse veram; si objectum postea de-
pendenter à Decreto Dei futurum est, quia ne-
cesse non esse credimus, ut decretum illud in-
telligatur revera existens pro illo signo, in quo
effertur propositio, sed sufficere, si pro illo sig-
no & tempore, pro quo propositio objectum di-
cit esse futurum, sicut tunc revera existet, ut sup-
ponimus. Quemadmodum, si pro priori ad Judi-
cis sententiam, Ego dicerem hodie, cras petru-
caderet causâ, Ego etiam hodie & pro priori ad
sententiam Judicis verum dicerem, si Petru-
revera cras causâ caderet, etsi caderet cras
non nisi post Judicis sententiam.

CLXII. Dicunt tertio alii: si propositio
Petrus cras peccabit, hodie est determinatè ve-
ra, ergo hoc ab æterno præscivit Deus; ergo
Petrus cras necessariò peccabit, quia scientia
Dei, neque falli, neque impediri à Petro po-
test. Sed & ad hoc argumentum nihil inte-
esse, si vè propositio sit hodiè determinatè ve-
præsciendendo, si vè per ipsum decretum De-
utpote quod perinde est infallibile, & à Pet-

impedibile. Dicendum ergo utrisque; quod
 in peccandi necessitas, quæ est in Petro, sup-
 positâ non magis præscientiâ, quam decreto
 Dei, non sit antecedens, sed tantum conse-
 quens liberam determinationem Petri ad pec-
 catum, ideòque innoxia ejus libertati. Neque
 enim ideò Petrus peccabit, quia præscit Deus;
 sed quia peccabit petrus, ideo eum præscit
 Deus peccaturum cum nequaquam scientia vi-
 sionis, sed simplicis intelligentiæ sit effectrix
 rerum. Unde sicut in potestate est anteceden-
 te Petri, non peccare; ita in ejusdem potestate
 antecedente est, facere, ut Deus ab æterno
 non præviderit ipsius peccatum; non quòd
 positâ semel præscientiâ de peccato, pos-
 sit eam impedire Petrus; sed quòd anteceden-
 ter potuerit, non ponendo peccatum; destrue-
 re totum hoc, Deus præsciens peccatum Petri,
 in quantum potuerat tollere obliquum, &
 partem intrinsecè constitutivam hujus totius.
 Unde etiam vides, quomodo divina Præscien-
 tiâ non sit naturâ prior peccato, licet totâ æ-
 ternitate antecedit; sed potius peccatum sit
 prius præscientiâ, non quidem prioritate cau-
 salitatis strictæ, sed logicâ. Verùm de hoc E-
 go nolim plura, ne in materiam Theologicam,
 ad eoque fori non mei, involare præsumam.



ASSERTIO IX.

LOGICALIS.

*Oppositio est duarum propositionum de eo-
 dem*

dem subiecto & predicato quedam secundum
 quantitatem aut qualitatem diversitas. Con-
 tradictoria est omnium maxima, & in qua
 fundantur cetera. Potest Cuiusvis propositio
 ni assignari sua contradictoria, equi-
 pollens, & ferè etiam Conver-
 tens.

I. *Oppositio est duarum propositionum de eo-
 dem subiecto & predicato quadam secundum
 quantitatem vel qualitatem Di-
 versitas.*

CLXIII.

Quantitas Propositionis est ejusdem Uni-
 versalitas, Particularitas, aut Singulari-
 tas, desumiturque à subiecto: unde si subje-
 ctum universale, particulare, aut singulare fu-
 erit, quod ferè colliges ex signo eidem adje-
 cto, qualecunque de cætero fuerit prædicatum,
 tota propositio talis erit. Quod si contingat
 nullum subiecto signum affigi, propositio in-
 definita dicitur, inque materia necessaria aut
 impossibili æquivalet universalis, in contin-
 gente verò, particulari. Qualitas autem pro-
 positionis, est affirmatio vel negatio. Unde
 propositiones duæ de eodem subiecto & prædi-
 cato, si secundum hanc quantitatem aut quali-
 tatem habent diversitatem aliquam, oppositæ
 dicuntur, id quod modis quatuor potest con-
 tingere. Nam primò si ambæ sunt universa-
 les, sed una affirmativa, altera negativa, V. G.
 omnis homo est doctus, nullus homo est doctus

GICALIS. 237
possuntque simul esse falsæ, saltem si in materia
si ambæ particulares
nativa, altera negativa, di-
rix, V. G. aliquis homo est
no non est doctus, & hæ pos-
e, sed non simul falsæ. Ter-
is est, altera particularis, sed
iunt V. G. omnis homo est
no est doctus, item nullus ho-
uis homo non est doctus, di-
, quæ si sunt in materiâ ne-
ibili, vel ambæ sunt veræ,
erò in materia contingente,
a, altera falsa; universim ta-
alternantis, hoc est univer-
ternatæ deduci potest, non
sitate subalternatæ falsitas
n contrâ. Quartò demum,
lis, altera particularis, &
iunt in qualitate V. G. om-
s, aliquis homo non est do-
omo est doctus, aliquis ho-
licuntur Contradictoriæ, &
sse simul veræ, neque simul
e demum materia; sed una
est vera, altera falsa. Atque
ositiones oppositæ de modo
r quas sunt & aliz; quæ di-
e lege, eo quod, licet quanti-
ncipia oppositionis jam ex-
ratè non observent, leges ta-
uatenus imitantur quo ad
veri-

veritatem aut falsitatem simultaneam. Tales sunt propositiones de subiecto singulari, & ferme omnes compositæ: ut copulativæ, Disjunctivæ, conditionales, modales, exceptivæ, reduplicativæ; quarum tres postremæ communi nomine exponibiles solent appellari, æquivalentque copulativis, si affirmativæ sunt, disjunctivis autem, si negativæ. Singularum tabulas oppositas videre est apud Casil. lib. 2. Cap. 11. 13. & 14.

I I.

Contradictoria est omnium maxima, & in qua fundantur ceteræ.

CLXIV. **P**Rima pars sufficienter constat ex dictis Num. præc. propositiones enim Contradictoriæ, & secundum quantitatem, & qualitatem opponuntur, neque possunt esse simul veræ, aut simul falsæ, sed unius veritas necessario infert falsitatem alterius, & contra falsitas unius veritatem alterius, quod in aliâ nullâ oppositione contingit. Secundæ partis ratio est, quod alia quævis oppositio ultimæ resolvatur in contradictoriam de subiecto singulari, quod sic ostendo: primo duæ Contrariæ nequeunt esse simul veræ quia darentur duæ contradictoriæ singulare simul veræ. V. G. si vera est hæc, omnis homo currit, etiam vera est ista, Petrus currit, posito, quod inter omnes homines unus sit Petrus. Quod si jam vera quoque esset hæc, nullus homo currit, vera quoque esset ista, Petrus non currit, atque ita simul verum esset, & quod

cum Petrus, & quòd non currat, quæ sunt cõ-
 tradictoriæ singulares. Econtra possunt duæ
 contrariæ esse simul falsæ, quia falsificari pos-
 sunt in diversis individuis, atque ita non cade-
 re oppositio in idem subjectum singulare. Se-
 cundò duæ sub contrariæ nequeunt simul esse
 falsæ, quia darentur duæ contradictoriæ singu-
 lares simul veræ: ut enim falsa V. G. sit hæc,
 aliquis homo currit, requiritur, ut nullus om-
 nino currat, adeòque ut non currat etiam Pe-
 trus: Rursus ut falsa sit ista, aliquis homo non
 currit, requiritur ut omnis homo currat, adeò-
 que ut currat etiam Petrus, atque ita ad falsi-
 tatem utriusque simultaneam requireretur, ut
 currat simul & non currat idem Petrus, quæ
 sunt contradictoriæ singulares. Econtra pos-
 sunt duæ subcontrariæ esse simul veræ, cum e-
 nim disjunctivæ sint, verificari possunt in di-
 versis individuis, atque ita non caderet oppo-
 sitio in idem subjectum singulare. Tertiò de
 Subalternis non potest esse quoad præsens ul-
 la consideratio, cum possint ambæ non tantùm
 esse simul veræ, sed etiam falsæ nequè tam sint
 propositiones in rigore oppositæ, quam uni-
 versalis una, & particularis altera subsumpta
 sub illa. Quartò demum Contradictoriæ ne-
 que possunt esse simul veræ, neque simul falsæ,
 quia duæ contradictoriæ singulares essent si-
 mul veræ: ut enim vera sit hæc, aliquis homo
 non currit, requiritur, ut saltem unus non cur-
 rat, ponamus autem hunc esse Petrum, qui non
 currit, & in quo propositio ista verificatur:
 jam si vera quoque sit hæc, omnis homo currit,
 quæ

quæ est contradictoria prioris, erit etiam vera hæc, Petrus currit, atque ita de eodem Petro simul erit verum, & quod currat, & quod non currat, quæ sunt contradictoria singulares. Similiter ut falsa sit hæc, omnis homo currit, requiritur, ut saltem unus non currat, ponamus autem hunc esse Petrum: jam si falsa insuper est ista prioris contradictoria, aliquis homo non currit, requiritur, ut omnis homo currat, adeoque ut currat etiam Petrus; atque ita rursum de eodem Petro simul erit verum, & quod non currat, & quod currat, quæ sunt Contradictoria singulares.

III.

*Potest cuivis propositioni assignari sua
Contradictoria, equipollens, & fere
etiam Conversens.*

CLXV. **C**ontradictio, non illa quæ est inter simplices terminos, sed integras propositiones, ratione objecti, quod idem habent ambæ, ex communi Philosophorum definitione est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem: Unde ut propositiones sint Contradictoria, non debet in earum alterutra variari alicujus termini significatio, sive per æquivocationem, sive per mutationem statûs, ampliacionis, restrictionis, appellacionis, aut suppositionis inducentis pluralitatem terminorum, sed neque ratione loci, temporis, casus recti aut obliqui adverbii, alteriusve modi limitantis, ulla fieri debet in alterutra diversitas; alias enim una plus
mi-

minuſve diceret, quam præciſè requiratur ad falſificandã alteram, & ſic poſſet utraq; ratio-
 ne hujus exceſſûs aut defectûs per alteram im-
 portati, eſſe ſimul vera, vel ſimul falſa, quod
 non cadit in contradictorias. Porro poteſt
 cuiſvis propoſitioni assignari ſua Contradictio-
 ria, ſaltem de lege talis, quia quod affirmat
 una, præciſè poteſt altera negare, quod ſi fa-
 cit, neceſſario contradicit priori. Fit autem
 hoc, univerſaliter loquendo, ſi toti propoſitio-
 ni præfigas in fronte particulam negantem,
 ſic enim negabis totum objectum, quod affir-
 mabat altera, neque magis illam poteris falſi-
 ficare. Sed hoc licet in propoſitionibus ca-
 tegoricis ſit admodum facile, tamen in com-
 poſitis fatiſ promptè tunc explicandis difficul-
 tatem habet, ideòque ſpeciales pro his regulæ
 traduntur: & 1. quidem, propoſitioni copulati-
 væ contradicitur per diſjunctivam, & contra.
 V. G. hæc copulativa: *& Petrus, & Paulus cur-
 rit*, hanc habet contradictoriam diſjunctivam,
Vel Petrus. vel Paulus non currit, & e contra
 hæc diſjunctiva iſtam copulativam, & idem eſt
 de cæteris omnibus. Secundò propoſitioni
 Conditionalis contradicitur, negando præciſè
 connexionem Conditionis cum conditionato,
 quam exprimes aptiſſimè per particulam *ideo*.
 V. G. hæc conditionalis: *Si Petrus audiet
 Concionem, convertetur*, hanc habet contra-
 dictoriam: *Si Petrus audiet Concionem, non
 ideò convertetur*, & idem eſt de cæteris omni-
 bus ſtriçtè Conditionalibus. Tertio propo-
 ſitio exponibilis, qualis eſt excluſiva, excepti-

va, & reduplicativa, cum sit latenter copulativa, si affirmativa est, disjunctiva verò, si est negativa, quoad hoc sequetur regulam propositionis copulativæ, ac disjunctivæ modò allegatam. V.G. hæc exclusiva : *Tantum Petrus currit*, cum æquivalet huic : *Petrus currit, & nemo alius currit*, hanc habet contradictoriam : *vel Petrus non currit, vel si currit, etiam alius aliquis currit* Quartò demum propositioni modali contradicitur, si modus in una affirmatus negetur in altera, V. G. hæc modalis : *Petrum currere est necesse*, hanc habet contradictoriam : *Petrum currere non est necesse*, quæ æquivalet huic : *Petrum non currere est possibile*. Atque hæc de Propositionum contradictione.

CLXVI. Jam quod ad æquipollentiam spectat, est eæ duarum propositionum prius oppositarum Æquivalentia, facta per additionem particulæ negantis. Cujus Regulas Summulistæ hoc versu complexi sunt :

Pra contradictic : post contra : præpositq, subalter.

Hoc est, ut Propositiones contradictoriæ fiant æquipollentes, alterutri earum in fronte præponenda est negatio. V.G. Si hanc : *Omnis homo est doctus*, velis reddere æquivalentem suæ contradictoriæ, quæ est hæc, *aliquis homo non est doctus*, Dic : *Non omnis homo est doctus*, & jam illi æquivalet. Ut autem Propositiones contrariæ vel subcontrariæ fiant æquipollentes, subjecto alterutrius postponenda est negatio. V.G. Si hanc : *Omnis homo est doctus*, velis reddere æquivalentem suæ contrariæ, quæ est hæc, *Nullus homo est doctus*, Dic : *Omnis homo non est do-*

doctus, & jam illi æquivalebit. Similiter si hanc : *Aliquis homo est doctus*, velis reddere æquivalentem suæ subcontrariæ, dic : *aliquis homo non est doctus*, & habebis ipsissimam. Demum ut Propositiones subalternans & subalternata fiant æquipollentes, & præponenda & postponenda subjecto alterutrius est negatio. V. G. Si hanc : *Omnis homo est doctus*, velis reddere æquivalentem suæ subalternatæ, quæ est hæc : *aliquis homo est doctus*, Dic : *Non omnis homo non est doctus*, quæ facit hunc sensum : *aliquis homo est doctus*. Sunt autem hæc Regulæ non pro solis Propositionibus categoricis, sed etiam pro compositis, modalibus, exponibilibus, & si quæ sunt aliæ plures ejusmodi.

CLXVII. Denique quod ad conversionem spectat, est illa Propositionis unius ad alteram necessaria Consequentia, orta ex transpositione extremorum, vel ut Alii definiunt : mutatio totius ejusdemque subjecti in totum & idem prædicatum, manente eadem copulâ & qualitate Propositionis. Fundatur autem hæc Conversio in mutua connexionione extremorum, si Propositiones affirmativæ sunt, vel in mutua non connexionione eorum, si Propositiones sunt negativæ; estque univèrsim triplex : Simplex, per accidens, & per contrapositionem. Quæ verò ex his conversione Propositiones singulæ converti possint, cum quâvis perinde utique non possint omnes, norò versù gemino complexi sunt Summulistæ.

Simpliciter feci: Convertitur Eva per acci-
Asto per contra: Sic fit conversio tota.

Q 2

Ubi

Ubi in ternis vocibus, *Feci, Eva, Asto*, notandæ sunt vocales, quæ denotantur singulæ Propositiones, juxta vulgatum illud : *Afferit n. &c.* Quare colligendo vocales istas, Propositio universalis affirmativa converti poterit & per accidens, & per contrapositionem, non simpliciter. Universalis negativa simpliciter & per accidens, non per contrapositionem. Affirmativa particularis tantum simpliciter. Particularis negativa tantum per contrapositionem. Intellegendo tamen; quid in singulis fieri possit vi formæ, non quid hîc & nunc, & in nonnullis vi solius materiæ. Porro Conversio simplex est, cum retentâ eâdem Propositionis quantitate, extrema mutud permutantur. v.g. *Nullum animal est planta : ergo nulla planta est animal : aliquis homo est albus : ergo aliquod album est homo.* Conversio per accidens est, cum variatâ Propositionis quantitate, extrema permutantur : V.G. *Nullum animal est planta : ergo aliqua planta non est animal : omnis homo est animal : ergo aliquod animal est homo.* Conversio per Contrapositionem est, cum retentâ eâdem quantitate, extrema Propositionis permutata infinitantur : V.G. *omnis homo est animal : ergo omne non animal est non homo : aliquis homo non est albus : ergo aliquod non album non est non homo.* Quanquam, ut vides, in Propositionibus negativis hæc conversio multum obscuritatis adferat, ob nimiam concurrentiam negationum. Quod idem quoque contingit circa æquipollentiam sub-alternarum & sub-contrariorum negativarum, ut patebit prædicanti.

CXLVIII. Jam si quis ex me quærat, an hæ Conversionis Regulæ teneant universaliter in quocunque demum genere Propositionum ? Dico : tenere universaliter, non solum in simplicibus, sed & in compositis & exponibilibus, imò in cunctis etiam aliis, si quasdam duntaxat modales excepero, quæ videntur omninò converti non posse. Quanquam & modales etiam illæ, quæ converti possunt, hoc habeant speciale, quòd convertantur solum ex parte dicti, modo manente invariato, de cætero prædictis Regulis se se accommodantes : V. G. hæ modalis : *Hominem esse animal est necesse* (: cum sit universalis affirmativa, ratione modi universalis & affirmativi. Unde Propositiones istæ suam quantitatem & qualitatem præcipuè desumunt :) ita convertitur per accidens : *aliquid animal esse hominem est necesse* ; vel etiam sic per contrapositionem : *non animal esse non hominem est necesse*. Idem cum proportionem dic de modis cæteris, nimirum impossibili, possibili, & possibile non, qui similiter ad Regulas simplicium prædictas convertuntur, sed ex parte dicti tantum. Dixi : *Si quasdam modales excepero, quæ videntur omninò converti non posse* : Nonnullas enim reperias, ubi in modo impossibili non sit mutua extremorum repugnantia ; neque in modo necessario, necessaria connexio mutua ; neque in modo contingenti mutua Contingentia ; quæ proinde juxta regulas antè datas sui conversionem non patientur, utpotè quæ tota fundatur in connexionem aut non connexionem mutuam extremorum.

Q ;

Talis

Talis V. G. est hæc in modo impossibili : *omne animal esse hominem est impossibile*, quæ cum sit universalis negativa, ratione modi, deberet converti posse & simpliciter & per accidens ; utrumvis autem tentes, & sive dicas : ergo omnem hominem esse animal, sive : ergo aliquem hominem esse animal, est impossibile, falsum concludes. Sic & in modo *Neesse* talis est hæc : *omnem Grammaticum esse hominem est neesse*, quæ cum universalis affirmativa sit, deberet & per accidens, & per contrapositionem converti posse. Et in modo contingenti talis est ista : *aliquem hominem esse Grammaticum est contingens*, quæ cum particularis affirmativa sit, deberet posse converti simpliciter ; sed utrumque si attentaveris, non succedet. Hoc solum in hujusmodi Propositionibus poteris, ut modum ipsum, qui in eis locum tenet prædicati, substituas in locum subjecti, dictum verò in locum prædicati ; sed hoc solum erit transponere constructionem, non convertere modales. Atque ex his jam vides, cur in Thesi præfixâ dixerim : *Et ferè etiam convertens.*



ASSERTIO X. LOGICALIS.

Discursus, ut præcisè est tertia Mentis Operatio, consistit formaliter in sola conclusione; ut est totum artefactum logicum, simul in præmissis. Quæ non concurrunt effectivè, sed tantùm in genere cause formalis extrinsecæ ad Conclusionem. Ad quam etiam concessæ necessitant, non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium.

I.

Discursus, ut est præcisè tertia Mentis operatio, consistit formaliter in sola Conclusionem; ut est totum artefactum logicum, simul in
Præmissis.

CLXIX. **D**iscursus formalis (: nam de virtuali, qui simplex est actus Judicii, Assensum vel Dissensum præbens uni objecto propter aliud, V.G. *Petrus est homo, quia rationalis*, non est hîc quaestio:) dupliciter considerari potest: Semel strictè, prout est præcisè tertia mentis operatio, solètque significari per *td Ergo*; quæ particula denotat, me non simpliciter assentiri, vel dissentire. objecto, sed ex vi actuum, qui præcesserunt, & propter connexionem objecti Conclusionis cum objecto Præmissarum. Iterum minùs strictè pro toto quodam artefacto logico, V.G. Syllogismo, aut Enthymemate. Quòd si hoc secundo modo consideretur, Discursus essentialiter

consistit in Antecedente simul & Consequente : quia uno eorum præcisè ablato, non habetur hoc totum, quod dicitur Syllogismus, aut Enthymema. Quòd si quoque Discursum in hoc secundo sensu placet accipere causaliter, ut quandoque accepit Aristot. cum dixit : quòd *Demonstratio generat Scientiam* : Ita consistet in solis etiam Præmissis, ut quæ sunt causa conclusionis, quæ Scientia est actualis. Si verò Discursus primo & stricto modo accipiatur, prout præcisè est tertia mentis operatio, jam stat formaliter in sola Conclusionem, ita tamen, ut transcendentaliter respiciat Præmissas, tanquam aliquid ad se planè necessariò præsuppositum. Ratio est, quia sic per proprium sibi ac specialem tendendi modum, qui in sola conclusione exprimitur per tò Ergo, sufficienter est distinctus à quovis alio actu Intellectus, ut proinde necessarius non sit recursus ad præmissas intra ejus essentiam admittendas ; cum essentia rerum statui debeant, quàm fieri potest simplicissima. Adhæc sicut supra *Num. 132. de Judicio* dictum est, quòd sit unus simplex actus, non compositus ex apprehensionibus, propter modum tendendi specialem, quem habet ab omni apprehensione diversum ; ita hîc ex paritate rationis de Discursu, ut præcisè est tertia mentis operatio, differendum est. Denique sola Conclusio, etiam ut à Præmissis contràdistincta, est actus aliquis Intellectus ; non Apprehensio, neque Judicium simplex, ut constat ; ergo Discursus, cum alia species actuum Intellectus non habeatur.

CLXX. *Neque dicas primò*: Licèt Discursus per suum tendendi modum specialem, qui est in sola Conclusione, differat à Judicio, hinc tamen non sequitur, quòd adæquatè in illa consistat tota ejus essentia: Sicut licèt homo per solam animam rationalem differat à bruto, hinc tamen non sequitur, quòd in sola tali anima consistat adæquatè tota hominis essentia. *Nam* disparitas est: quòd homo physicè definiatur, esse corpus, anima rationalis, & unio, significando cuncta in recto, quæ proinde simul accepta identificari debent cum definito. At verò Discursus, ut præcisè est tertia mentis operatio, definitur: cognitio ex alia cognitione deducta, vel ut habet D. Th. 1. p. q. 78. a. 3. & Philosophus 1. Post. Cap. 1. Cognitio unius veritatis per aliam & post aliam: Ubi sola Conclusio venit in recto, adeoque sola identificatur definito, sive Discursui. Quòd si placet ad secundum quoque Argumentum respondere, dicendo: latam esse disparitatem inter apprehensionem & Judicium ex una, & inter Judicium ac Discursum, ex altera parte, eò quòd Discursus dicat, unum judicari ex alio judicato, ideoque involvat unum & aliud, nimirum Antecedens & Consequens; Judicium verò non dicat, unum judicari ex alio apprehenso; ideoque Judicium sit actus unus & simplex, aliter ac Discursus. Dico: ex hoc nihil sequi plus, quàm quòd Judicium unum vel plura antecedant Discursum, è quibus ad se præsuppositis ipse inferatur; sicut Judicium, plerumque saltem in nobis, antecedit Apprehensio,

sio, non quòd hoc intrinsecè componatur ex apprehensionibus, aut ille ex Judiciis. Quòd si quoque respondes ad tertium, dicendo: conclusionem per se solam esse quidem actum Intellectus, & neque Apprehensionem, neque simplex Judicium, sed Discursum incompletè talem, qui cum Præmissis faciat unum Discursum totalem atque completum: Contrà dico: quòd Conclusio sit per se solam actus completus, à quovis alio contradistinctus; adeoque si nec Apprehensio, nec Judicium merè enuntiativum, ergo discursus, & quidem completus, sicut completus est actus.

CLXXI. *Neque dicas secundo*: Nisi ponatur Antecedens, non habetur Conclusio, adeoque nec discursus; ergo discursus non est sola Conclusio, sed etiam quod illi præmittitur: *Nam* pari modo, nisi præcedat cognitio repræsentans objectum, non habetur actus voluntatis, & nisi ponatur aliqua causa, à qua possit procedere effectus, non habetur effectus: an idè cognitio intrinsecè constituit actum voluntatis, aut effectum causa? negabis, ut credo. Sicut ergo cognitio est conditio tantum ad actum voluntatis necessariò prærequisita, & causa principium, quod præsupponi debet ad effectum, sed merè extrinsecum effectui; ita Antecedens, vel Præmissa sunt aliquid necessariò præsuppositum ad Conclusionem, sive Discursum, nequaquam pars intrinsecè constitutiva illius. Ut enim dixi, habet se discursus per modum relationis transcendentalis, cujus relationis terminus extrinsecè respectus sunt Præmissa;

missa ; quòd si verò intrinsecè etiam coalesceret ex Præmissis, jam Relatio merè prædicamentalis esset. Aliter respondendum foret, si diceretur ita : solis Præmissis ablatis non habetur Discursus : hoc enim simpliciter negare oporteret, quia solis Præmissis ablatis nihil tollitur à præmissis adæquatè distinctum : atqui Discursus, qui formaliter est sola Conclusio, est aliquid adæquatè distinctum à Præmissis, est enim aliud omninò actus Conclusionis, ac Præmissarum ; ergo solis ablatis præmissis non tollitur, sed manet Discursus. Plura quæ hîc moveri possent, sunt quædam descriptiones Discursûs, ut quòd Discursus sit quidam mentis cursus ex una in aliam cognitionem, quòd sit transitus aliquis ab antecedente ad consequens &c. quæ utrumque videntur importare : Sed facile dicitur, esse quasdam descriptiones Discursûs minùs strictè talis. De cætero, quænam sit definitio Discursûs strictè dicti, & ut præcisè est tertia Mentis Operatio, constat ex paulò antè dictis.

II.

Quæ non concurrunt effectivè, sed tantùm in genere causæ formalis extrinsecæ ad conclusionem.

CLXXII. **Q**Uæstio procedit de præmissis formalibus, nam præmissæ objectivæ quæ sunt objectum præmissarum formalium, vel uno nomine connexio extremorum cum medio, sunt causa movens ad conclusionem.

clusionem formalem, quia propter ipsam judicantur extrema conclusionis objectivæ esse eadem inter se. Itaque præmissæ formales non concurrunt effectivè ad conclusionem formalem, physicè in eam influendo, sed tantùm moraliter, illuminando intellectum, vel ut dici solet, in genere causæ formalis extrinsecæ. Ratio est, quia præterquam quod nullus actus intellectûs physicè influat in alium actum intellectûs, nulla omnino est necessitas tribuendi Præmissis hunc influxum physicum; habet enim intellectus, à præmissis determinatus ac directus, vires sufficientes ad conclusionem eliciendam; sicut directus ab apprehensione simplici, vires habet ad judicandum & illuminatus à regulis artis ad producendam cognitionem ipsis conformem, citra omnem influxum physicum aut apprehensionis in Judicium, aut artis in artefactum. Quod si quandòque dixit Arist. ac D. Th. conclusionem à præmissis effici; paulò laxiùs accepit tò effici, pro omni eo, quod se tenet ex parte principii efficientis, quamvis ipsum physicè non coëfficiat, qui modus loquendi Philosophis perquam usitatus est. Hinc jam ruunt omnia, quæcunque possent in contrarium moveri: Ut primò: Quòd præmissæ dicantur in virtute suâ continere conclusionem; continent enim in virtute suâ morali, & formaliter extrinsecè determinativa; non efficiente physica, idque ratione connexionis, quam habent cum Conclusionem propter idem virtualiter objectum in utrisque contentum. Secundò, quod

quod species objectorum impressæ physice cum intellectu coefficientiant cognitionem eorum, præmissæ autem habeant se per modum specierum ad conclusionem: falsum enim est, quod præmissæ habeant se velut species impressæ ad conclusionem, cum eadem species, quæ cum intellectu producant præmissas formales, cum eodem intellectu producant formalem quoque Conclusionem, quia sunt species ejusdem virtualiter objecti, absque eo tamen, quod ipsæ formales præmissæ concurrant eodem physice. Imò putat *Oviado*, non esse improbable, quod solus intellectus sit principiū omnino completum Conclusionis effectivum, neque indigeat ulteriori adjumento specierum, postquam opeillarum produxit præmissas, illæque pergunt actualiter intellectum illuminare. Tertio, quod in unâ & eadem Conclusionem reperiantur hæc tres formalitates, intellectiois, imaginis, & illationis; adedque sicut primæ formalitati respondet distinctum principium physicum, nimirum intellectus, & iterum secundæ, nimirum species vicaria objecti; ita debeat & tertiæ suum respondere distinctum principium physicum, quod sint formales præmissæ: nam id minimè est necessarium, cum intellectus idem & intellectivus sit & discursivus seu illativus, ac proinde potens utramque formalitatem causare in conclusione. Speciale quid est in formalitate imaginis, hæc n. cum habeatur, inadæquate saltè, ab objecto sive imaginato; illud autem per se ipsum nequeat intellectum ingredi; debet per speciem sui vicariam, quæ licet ultimè producta ab intellectu, originaliter tamè

ab objecto proveniens, intellectum adjuvet imaginem ipsius formalem fabricandam. Quod si tibi non sufficit, plura necesse est comminisci distincta principia physica, quæ cæteris ejusdem conclusionis formalitatibus correspondant, ut spiritualitati, Vitalitati &c. V. de dicta Num. 51. & 52.

III.

Ad quam etiam concessæ necessitant, non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium.

CLXXIII. **N**ecessitari intellectum quoad speciem ad assensum conclusionis, postquam assensum dedit præmissis, ita ut his concessis, non possit objecto conclusionis positivè dissentire, communis est omnium sententia cum *S.Th. in 1. dist. 25. q. 1. a. 2.* Et ratio est, quod intellectus dissentire nequeat objecto, quod evidenter ipsi proponitur ut verum; sicut voluntas odisse non potest objectum, quod evidenter ei proponitur ut purum bonum: hoc autem intellectus faceret, si dato jam assensu præmissis, dissentiret objecto conclusionis, quia judicaret duo esse distincta inter se, quæ jam dixerat in præmissis esse eadem cum tertio, quod est contra lumen rationis, ergo. Adhæc nequit intellectus judicare duo contradictoria esse simul vera; hoc autem faceret, si post assensum præmissarum dissentiret conclusioni: nam in præmissis concessis jam tunc implicitè affirmavit objectum conclusionis, aded-
que

quod hoc ipsum explicitè negaret in conclusione, affirmaret & negaret idem. Quod si dicis, accidere tamen sæpe, quod quis in syllogismo, etiam bono, concessis præmissis, neget consequentiam : Dico : Omnino id accidere, sed perperam, & solum apud eos, qui aut vim syllogisticam, aut connexionem talium objectorum non penetrant. Dec æterò sanus intellectus, & necessariis omnibus instructus, id non potest, de quo solo nobis est quaestio.

CLXXIV. Deinde quod concessis præmissis, quamvis solum probabilibus, intellectus etiam necessitetur, per se loquendo, ad assensum conclusionis quoad exercitium, ita ut jam nequeat actum conclusionis cohibere, sed eum necessario debeat elicere, est sententia quidem communior, cum eodem *S. Th. loc. cit.* sed tamen suos habet Adversarios. Ratio autem est, quod intellectus sit potentia necessaria, quæ habitis ad agendum requisitis omnibus, non potest non agere; habet autem intellectus omnia ad eliciendam conclusionem requisita, postquam dedit assensum præmissis, & ut suppono, instructus est apprehensione quâdam conclusionis objectivæ, circa quam eliciet conclusionem formalem; non potest ergo non conclusionem formalem elicere. Quod si dicis, unum è prærequisitis esse carentiam imperii voluntatis prohibentis: nego hoc simpliciter, sicut tu simpliciter asseris; neque enim potest voluntas intellectum directè ab elicienda conclusione, post assensum præmissarum, nude pro-

prohibendo, impedire. Et ne tantum neg
 simpliciter, rationem quoque adjicio : qu
 omnis potentia intentionalis necessariò & i
 impedibiliter moveatur, ac velut rapiatur
 objecto suo puro sufficienter proposito, V. C
 oculus apertus & sanus ab objecto visibili, ve
 luntas à puro bono, & sine ullâ admixtion
 mali proposito : quid ni ergo similiter intelle
 ctus à puro vero, quale apparet ipsi, concessi
 præmissis, & quidem evidenter, *objectum*
 conclusionis ? Neque tantum id locum habe
 in discursu scientifico, sed etiam in probabili
 æquè enim evidenter è præmissis probabilibus
 ritè dispositis sequitur conclusio, ac è scientifi
 cis ; & si semel tanquam veram admittit intel
 lectus hanc propositionem, omnis Mater dili
 git filium, & iterum, quod Anna sit Mater, vi
 det evidenter sequi, quod Anna diligat filium,
 ideoque suppositâ veritate priorum, assensum
 hujus conclusionis cohibere non potest. Di
 xi tamen : *Necessitatur, per se loquendo* : Nam
 per accidens fieri potest, ut post assensum præ
 missarum intellectus impediatur ab assensu
 conclusionis eliciendo : ut si præmissas non sa
 tis penetret, vel positis jam præmissis (: si
 quidem conclusio tempore consequatur ad
 præmissas :) subitò terreatur, aut vehementio
 ris objecti propositione totus abripiatur &c.
 in quibus cum possit utique multum voluntas,
 poterit ea indirectè intellectum à conclusione
 elicienda avertere, sed non directè, nudòq; im
 perio prohibere, si de cætero intellectus sibi
 relinquatur.

CXXXV. *Neque dicas 1.* Intellectus est potentia subjacens imperio voluntatis ; potest ergo, posito jam assensu Præmissarum, voluntarium ab assensu Conclusionis cohibere. Et verò quid vetat, me, postquam dixi, omnis homo est animal : Petrus est homo : ibi sistere, omnemque actum ulteriorem suspendere, non alia de causa, quàm quia sic volo ? Nam licet Intellectus sit Potentia politicè subjacens voluntati, sic ut eum possit tractare voluntas, in bonum ipsius Intellectus variè dirigendo : non tamen subjacet illi despoticè, ita ut possit pro suo libitu, etiam contra naturalem Intellectus inclinationem, voluntas eum quaquà versum inflectere ; alias enim posset facere, ne apprehenderet Intellectus objectum sibi à Phantasia propositum, ut vero, cognito ut tali, dissentiret &c. quod nemo facillè dixerit. Cum ergo verum, evidenter cognitum ut tale, & carens omni suspitione falli, sit purum bonum Intellectus, nequit non ab illo rari, neque potest ab illius prosecutione per voluntatem, directè saltem, prohiberi ; idque magis, cum jam autè in præmissis hoc ipsum fuerit, in casu nostro, virtualiter & implicite prosecutus. Unde jam licet, recitatis ore tenus præmissis istis, lingua possit ab actu ulteriore conclusionis abstinere, quia lingua tua despoticè subest voluntati, nec per se ipsam cognoscitiva est ; non tamen poteris mente, si hæc fuerit sibi relicta, ob rationem contrariam. *Quod si dicis* : Intellectum in obscuris saltem subesse voluntati despoticè, ut ipse insinuat Arist. in Polit. adeoque posse

Logica.

R

per

per voluntatem cohiberi ab elicienda conclusione probabili, etiam post assensum præmissarum : *Dico* : Id fortè verum esse in obscuris illis, ubi nulla simul est evidentia formæ, secus ubi reperitur illa, sicut est in conclusione probabili, suppositis præmissis : Et hinc est, quòd licèt objectum, conclusione probabili nullam habeat secundùm se evidentiam, ideò non possit nudè per se ipsum cogere Intellectum ad assensum suum ; cogat tamen ex vi præmissarum, ex quibus ipsum evidenter deducitur, & quæis jam antè dedit assensum Intellectus : Nam quidquid evidenter connexum cum vero, & ipsum esse verum necesse est. *Quæ si dicis iterum* : Standum esse pro libertate voluntatis, ubi non est evidens ratio in contrarium, quæ hinc nulla appareat. *Dico* : ad restrictionem libertatis satis esse, quòd ratione valde probabiles, & potior deinde sensus Deiflet in contrarium, ut stat in præsentia.

CLXXVI. *Neque dicas 2.* Nulla bona creata, quantumvis evidenter & sine ulla admixtione mali proposita, necessitat voluntatem ad amorem ; ergo nulla veritas, quantumvis evidens, Intellectum ad assensum. *Nam An* imprimis est valdè dubium. Deinde *Confe* non tenet, cum voluntas sit potentia libera Intellectus autem necessaria. *Si dicis* : Etiam Intellectum, quantumvis sit potentia necessaria, non necessitat ad Judicium apprehensivum evidens ; ergo nec Judicium evidens ad assensum, sive conclusionem : *Dico iterum* : Antè dubium, ex hac ipsa ratione, quòd Intellectus

sit potentia necessaria. Sed neque tenere
 Conseq. si sermo est de Judicio non qualicun-
 que, sed ipsarum Præmissarum, eò quòd in
 præmissis jamtum virtualiter & implicite judi-
 catum sit objectum conclusionis ; per appre-
 hensionem verò simplicem non est objectum,
 etiam virtualiter antè judicatum. *Si dicis ite-
 rum* : Quòd assensus unius contradictorii non
 necessitet ad formalem Dissensum alterius,
 esto Assensus unius sit virtualiter alterius Dis-
 sensus, & ex uno affirmato possit Intellectus
 evidenter inferre falsitatem alterius ; ergo ad-
 huc à pari in præsentì : *Dico rursùm* : Anteced.
 jam esse multò magis dubium, in casu, quo
 utrumque contradictorium occurrit Intelle-
 ctui, secus est, ubi de uno, ut sæpe fit, non cogi-
 tatur. Quòd si tamen Antecedens verum est,
 aut esse ponitur, negandum est, quòd Assensus
 unius contradictorii sit dissensus etiam virtua-
 lis alterius, ut quæ duo objecta toto Cælo di-
 stinguuntur. *Si dicis adhuc* : quòd ex eisdem
 præmissis variæ deduci possint conclusiones,
 sic, ut è duabus affirmativis universalibus con-
 cludi possit vel in Barbara, vel in Barbari, vel
 in Baralip. ad quas omnes simul nequeat In-
 tellectus necessitari, ut Experienciâ comper-
 tum est ; & consequenter neque ad ullam ex
 his, cum non sit major ratio pro una, quàm al-
 tera, & æqualiter omnes contineantur in præ-
 missis. *Dico* : Non esse uniformem ad hoc
 Responsionem Authorum : Quidam enim cum
 Ovied. & Hurt. putant, Intellectum, si omnes
 istæ conclusiones ei simul occurrant, & ipse

vim habeat eliciendi tot actus simul, necessitandum æqualiter ad omnes; quod si vero non occurrant, ut fit communiter, necessitandum ad illam, quæ connaturalius sequitur, qualis est in Barbara. Alii cum Compt. in tali casu concedunt optionem voluntati, sic, ut quam ipsa maluerit, Intellectus eliciat: Sicut est in libertate mea, ut sim vel in hoc, vel in isto loco, non tamen ut si simpliciter sim in nullo.

CLXXVII. *Neque dicitur 3.* Stante Assensu Præmissarum probabilium, vel potest Intellectus formidare de opposito consequentis, vel non? Si potest, non necessitatur ad Assensum Conclusionis: Si non potest, tollitur ab actu Conclusionis ratio opinionis, de cujus essentia est, formido saltem radicalis de opposito. *Namque.* Quod stante assensu præmissarum, non possit Intellectus de veritate consequentis formidare; sic enim diceret Intellectus: iudico, quod duo sint verè idem in tertio, & tamen metuo, ne hæc duo non sint idem inter se, quod repugnat huic evidenti principio: Quæ sunt eadem uni tertio &c. unde jam à tali conclusione, non accepta secundum se & materialiter; neque etiam accepta formaliter, & ut deducta ex talibus præmissis, præscindendo tamen ab assensu illis præstito; sed ut connexa cum assensu præmissarum semel posito tanquam vero, tollitur ratio Opinionis, sic enim probabilis non est, sed evidens. *Si urges dicendo:* Quod ubi novus est actus, & quidem merè probabilis, ibi sit novum periculum erroris, quod prudenter possit formidari; atqui post assensum

Præmissa-

Premissarum probabilium assensus conclusio-
nis novus est actus, & quidem merè probabilis;
ergo novum in illo periculum erroris, quod
prudenter Intellectus possit formidare; adeo-
que postquam se bis exposuit errandi pericu-
lo in præmissis, jam factus cautior, à conclusio-
ne abstinendo, evitare. *Di. q.* Quòd actus iste
conclusionis sit quidem secundum se & mate-
rialiter, inò & formaliter, ut deductus è tali-
bus præmissis, ut jacent, merè probabilis. At
verò ex supposita veritate præmissarum, ac
præstito semel illis assensu, non est merè proba-
bilis, sed evidens, ideòque nullum est in eo no-
vum periculum erroris quod meritò formida-
re, aut cui se possit exponere Intellectus; evi-
dens enim est, quòd si Mater omnis diligat Fi-
lium, & Anna sit mater, jam Anna diligat Fi-
lium



ASSERTIO XI.

LOGICALIS.

*C*onclusio formaliter accepta sequitur de-
biliores partem Præmissarum; quarum
objectum etiam attingit. Non tamen requi-
rit aliud iudicium reflexum de bonitate con-
sequentiae, etsi apprehensio quedam Conclu-
sionis obiectivæ eam comitetur.

**

R;

L.

I.

Conclusio formaliter accepta sequitur debiliorem partem Præmissarum.

CLXXVIII. **R**atio prima & generalis est, quòd tota & unica

ratio connexionis extremorum inter se, quam affirmat Conclusio, sit connexio eorundem cum medio, quam affirmant Præmissæ; non potest ergo major illa inferri in Conclusionem quam ista fuerit in Præmissis. Jam verò, ubi vel una est debilis Præmissa, tota simpliciter est debilis connexio extremorum cum medio. Sicut tota simpliciter catena debilis est, quæ licet ferreis cæteris, uno tamen constat annulo stramineo: ergo necesse est, ut unice fundata in hac connexione conclusio sit simpliciter debilis. *Ratio secunda*, & propria singulis est, quòd conclusio imprimis esse nequeat affirmativa, ubi Præmissarum una est negativa, quæ inferret extrema esse eadem inter se, quæ non fuerant eadem, sed distincta in medio in præmissis, cum oporteret inferre contrarium. *Secundo*: Quòd conclusio non possit esse universalis, ubi præmissarum una est particularis, quia procederetur à non distributo ad distributum, vel certè medium non distribueretur. *Tertio*: Quòd conclusio nequeat esse necessaria, evidens, certa, aut vera, ubi præmissarum una contingens est, inevidens, merè probabilis, aut falsa, quia majorem inferret connexionem extremorum inter se, quam fuerat in præmissis cum medio. *Quarto*: Quòd Con-

clusio

LOGICALIS. 263

lit esse entitativè supernaturalis, cum una est tantùm naturalis, ut patet in discursu Theologico. & for-
Divina, sed tantùm præsupponimus docent Theologi. Quòd est, ut alii contendunt ex the-
omni consequenter, quòd prædicationis non sit in ordine ad vim
bilis supernaturali, modò sit fallibiliter connexum cum ob-
jectis. *Ratio tertia est:* quòd con-
super objectum præmissarum, cum objecto suo dijudicando, non debemus; est ergo implicite
eòq; sequens in hoc leges copu-
r quas una est. quòd, ut affirmare
vera, certa sit, omnes simplices,
ur, debeant esse tales; quales
assenti. si præmissarum una ne-
cens, falsa, aut incerta foret. Dixi
ratio formaliter accepta, hoc est,
missis deducta: Nam secundum
iter potest esse vera, necessaria,
et si alterutra præmissarum talis
est & hæc subintelligenda limi-
te Syllogisimis solùm categoricis
in compositis alia est ratio, ut
regulis diriguntur.

Nihilominus etiam sic *oppones*
causæ inæquales concurrunt ad
m, effectus sequitur causam per-
sonat in tractione currus causa-
is, uno forti, & altero debili,

R 4

item

item in cognitione causatâ ab Intellectu vivente, & specie impressâ non vivente: ergo etiam conclusio causata à præmissis inæqualis perfectionis, sequetur præmissam perfectiorem. *Ad hoc argumentum aliqui concedunt ant. de causis divisibiliter influentibus in effectum, Neg. verò de influentibus indivisibiliter, qualiter in conclusionem influunt præmissæ. Sed non placet responsio, quia non tenens universaliter. Alii Conc. Ant. in causis physicis, Neg. in moralibus, ubi valeat Tritum illud: Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu; Præmissæ autem non causant physicè, sed tantum moraliter conclusionem. Est hæc Responsio priorè melior. Nihilominus putem optimè, transmissio Ant. negari Conseq. eò quòd conclusio illud habeat speciale, quòd non habent effectus à causis aliis procedentes, quòd tota, quanta est, fundetur unicè in connexionè extremorum cum medio in præmissis, adeoque non possit illa major esse, quàm sit hæc; hæc autem sit simpliciter debilis, ubi una præmissarum est debilis. Item: quòd conclusio reflectat super præmissas objectivas, ideoque sit implicite copulativa, accommodans se Regulis copulativarum, sicut dictum est.*

CXXC. Oppones 2. Syllogismum Aristot.
Stella qua non scintillant sunt prope nos: Planeta non scintillant: ergo sunt prope nos. Ubi Minor negativa, & tamen Conclusio affirmativa est. Sed R. Quòd si minor ita, ut debet, disponatur: sed Planetae sunt stellæ, quæ non scintillant, jam rectè è præmissis duabus affirmativis inferatur
Conclu-

Conclusio affirmativa. *Si dicis*: In hoc Syllogismo : *Omnis Substantia est homo : Christus est Substantia* : ergo *Christus est homo* , Conclusio vera est ex maiore falsa. *Dico* : Conclusionem materialiter acceptam pro nudo Iudicio esse veram, non formaliter, ut est Conclusio, sive Iudicium illativum, quod clarè videbis, si reflectens ad hoc, quòd illa conclusio intrinsecè attingat præmissas objectivas, eam sic resolvas : *Christus est homo, quia omnis Substantia est homo, & Christus est Substantia*, quæ causalis simpliciter est falsa. *Si dicis iterum* : In hoc Syllog. *Omne discurrens est homo : Petrus est discurrens* : ergo *Petrus est homo*, conclusio est necessaria ex minore contingente. *Dico iterum* : Esse tantum materialiter necessariam, non formaliter, ut est conclusio ex istis præmissis deducta. Id quod semper contingit, quoties major est necessaria ; secus si major est contingens, & minor necessaria : quia prædicatum conclusionis jungitur cum subjecto conclusionis ratione mediæ ; cum ergo prædicatum conclusionis in modo directo sit majus extremum , quod in præmissis jungitur cum medio in Majore, jam si jungatur huic necessario, jungetur pari modo subjecto conclusionis. Econtrà si major est contingens , prædicatum conclusionis merè contingenter conjungetur cum medio , non potest ergo nisi merè contingenter, etiam loquendo materialiter, conjungi cum subjecto Conclusionis.

* * *

**

R ;

II.

II.

Quarum objectum etiam attingit.

CXXCI. **C**ertum est, quòd in Syllogif-
 mis, qui regulantur à prin-
 cipiis communibus affirmativis, *Dicti de omni* :
 Et *Quae sunt eadem uni tertio*, objectum conclu-
 sionis saltem inadæquatè sit idem cum objecto
 præmissarum ; adeóque conclusio formalis
 attingendo objectum suum, materialiter & in
 sensu reali loquendo, attingat quoque obje-
 ctum præmissarum. Pari modo certum est,
 quòd conclusio formalis aliquo modo, & sal-
 tem extrinsecè attingat præmissas formales,
 nam *Tò ergo* significat aliquam dependentiam
 conclusionis à præmissis formalibus, tanquam
 extrinsecè determinantibus ad ipsam. Quod
 igitur híc insuper statuit præsens Assertio, illud
 est : quòd conclusio formalis etiam immediatè
 & intrinsecè attingat præmissas objectivas,
 tanquam motivum intrinsecum, propter quod
 assentiatur objecto suo, & per consequens re-
 flectat se denuò super objectum jam antè judi-
 catum à præmissis formalibus, sic, ut particula
ergo denotet, me assentiri objecto conclusionis
 propter objectum præmissarum tanquam ra-
 tionem unicè motivam, cui denuò per ipsum
 actum conclusionis assentiar ; itaque dicat im-
 plicitè conclusio, V. G. hæc : *ergo Petrus est ani-
 mal : Petrus est animal, quia omnis homo est ani-
 mal, & Petrus est homo.* Assertio sic explicata
 defenditur post S. Th. ab Authoribus commu-
 niùs contra Compt. & quosdam alios. Ratio
 autem

autem ejus fundamentalis est, quod **Potentia cognoscitiva**, quoties fertur in objectum materiale propter formale, hoc ipso feratur etiam in objectum formale, utpote à quo movetur, & à cujus motione refunditur specialis modus tendendi in actum; quod fieri non posset, nisi tale objectum formale etiam intrinsecè attingeretur ab actu. Sic V. G. Voluntas non potest amare medicinam propter sanitatem, nisi intrinsecè attingat sanitatem, eamque prosequatur. Jam verò præmissa objectivæ, sive connexiono extremorum cum medio, est objectum formale, & motivum Intellectus, propter quod actu conclusionis fertur in objectum conclusionis velut in materiale, ergo. Accedit, quod Intellectus; cum elicit conclusionem, habeat omnia requisita ad assensum objecti præmissarum; ergo cum potentia sit necessaria, attinget hoc ipsum quoque eodem actu, quo conclusionem elicit: Sicut visio ocularis, dum fertur in colorem ut illuminatum, non solum colorem sed ipsam quoque lucem immediatè attingit.

CXXCII. Sed replicabis i. cum Compt. Cum Intellectus assentitur objecto materiali propter formale, immediatè etiam & intrinsecè attingit objectum formale, si hoc est formale intrinsecum & simul terminativum; secus, si est merè extrinsecum & impulsivum, quale sunt præmissa objectivæ respectu conclusionis; ad hoc enim, ut Intellectus dicatur assentiri objecto conclusionis propter præmissas objectivas, satis est, si hæc attingantur per ipsas præmissas formales, quæ deinde Intellectum illu-

illuminando, extrinsecè determinent ad actum conclusionis, absque eo, quòd hic rursus feratur in præmissas objectivas. *Verum B.* Quòd objectivæ præmissæ non sint motivum merè extrinsecum & impulsivum respectu conclusionis. Fateor quidem, dari tale posse, & esse V. G. vanam gloriam, propter quam captandam quis ritè ac frequenter confitetur; ubi Confessio habet deinde aliud motivum proprium intrinsecum & honestum, neque intrinsecè attingit motivum vanæ gloriæ, aliàs actus non esset honestus, neque vim haberet justificandi. Sed non ita habet se respectu conclusionis objectivæ præmissarum, cum unicè propter hoc eliciatur, nec ullum aliud motivum respiciat; non potest ergo conclusio, etiam ex hoc ipso, illud non intrinsecè attingere, idque non tantum ut objectum formale, sed insuper velut materiale ac terminativum, ab ipsa conclusione rursus affirmatum: Sicut paulò antè ostensum est in actu voluntatis, quo amatur medicina propter sanitatem. *Si dicis:* Esse disparitatem inter actum voluntatis & Intellectus, eò quòd medium nequeat se solo terminare actum voluntatis, nisi in ordine ad finem, cum in solo medio quia tali voluntas non inveniat suum motivum; è contrà verò objectum conclusionis possit se solo terminare actum Intellectus, utpotè in quo etiam solo motivum suum, nempe veritatem, inveniat Intellectus. *Dico:* Nihil per hanc disparitatem eviuci: nam licet in solo objecto conclusionis Intellectus inveniat motivum sufficiens ad iudicium simpliciter enun-

tiati-

tiatum, connexionem scilicet prædicati cum subiecto ; non tamen habet in illo solo moti-
 van sufficiens ad actum illativum, sed habere
 simul debet à præmissis objectivis , quas pro-
 inde non potest non per actum illationis im-
 mediatè & intrinsece attingere, tanquam uni-
 cum & totale motivum illius.

CXXCIII. *Replicabis 2.* Illa conclusionis reflexio super præmissas objectivas non modò est contra Experientiam, sed & varia post se trahit cum falsa, tum absurda. Ut *Primo* : quòd quoties recorder elicitæ aliquando conclusio-
 nis , deberem continuò recordari præmissa-
 rum. 2. Quòd sola conclusio foret totus Dis-
 cursus. neque præmissis opus esset. 3. Quòd in omni Syllogismo bis ponerentur præmissæ. 4. Quòd medium semper ingrederetur conclusio-
 nem. 5. Quòd omnis conclusio esset causalis & composita. 6. Quòd ex falso non posset sequi verum, quod tamen posse, communiter ajunt Philosophi , aliæque id genus. *Sed* 2. Imprimis, quoad experientiam, fatetur omni-
 no se id experiri Arriaga, quanquam in opere tam subtili Intellectus malè provocetur ad experientiam, maxime, cum lis est de eo, quod talis actus attingit tantum implicitè. Quod spectat ad cætera ; *Dico ad 1.* Solvendum esse & tibi in actu voluntatis, sæpè enim recordaris habitæ aliquando volitionis, & nequidem, distinctè saltem, objecti materialis. quod voluisti ; aut si & hoc incidit, non tamen venit in mentem ratio, cur tale quid volueris. Sicut ergo diceendum tibi, id ex eo oriri, quòd vel
 specia

species non excitetur adæquatè, vel sit nimis imperfecta ac debilis, aliave impediatur indispositio subjecti; sic idem cape Responsum hîc in actu conclusionis. Quamquam si recordaris ejus non simpliciter secundum se, sed ut deductæ ex præmissis istis, jam utique recorderis etiam objecti præmissarum. *Ad 2.* Si loqueris de discursu, ut præcisè est tertia mentis operatio, est utique totus sola conclusio, præmissas solum præsupponens, ex dictis *Num. 169.* Si verò per Discursum intelligis Syllogismum, falsum est, quod dicis, cum sola conclusio, etsi Syllogismus sit virtualis, non contineat tres distinctos actus, quales ad formalem Syllogismum necessariò requirunt. *Ad 3. dico:* In quovis Syllogismo mentali necessariò bis attingi præmissas objectivas, semel explicitè à præmissis formalibus, & iterum magis implicitè à formali conclusione; quod denotatur per particulam *Ergo:* Sicut dum amas medicinam propter sanitatem, quasi bis amas sanitatem, semel in se, & iterum in medicina amata propter ipsam. *Ad 4. R.* quòd medium ingrediatur conclusionem, non explicitè, & velut objectum purè materiale illatum, sed implicitè, & velut objectum simul motivum & inferens, primum autem vetant Regulæ Syllogismi, non secundum. *Ad 5. dico:* Omnem conclusionem quæ talem esse implicitè & æquivalenter causalem atque compositam, quia per plures debet propositiones resolvi. Denique *Ad 6. dico:* Non posse ex falso formaliter sequi verum, sed tantum materialiter, nisi fortè id, quod falsum est,

est, supponatur esse verum, tunc enim ex illo potest etiam formaliter aliud verum deduci; & alter utrum ex his intelligunt Philosophi.

III.

Non tamen requirit aliud Judicium reflexum de bonitate consequentia, nisi apprehensio quadam Conclusionis objectivæ eam comitetur.

CXXCIV. **L** Is est, an priusquam Intellectus, elicere possit assensum conclusionis, debeat habere tertium, atque distinctum à præmissis Judicium, de bonitate illationis, tum formalis, tum objectivæ, quo nempe judicet, talem conclusionem rectè ex his præmissis deduci, verèque objectum conclusionis esse connexum cum objecto præmissarum; & quidem quod id judicet signatè, nam exercitè hoc totum fieri per ipsum actum conclusionis, facilius datur. Ad hanc Questionem prædet præsens Assertio, necessarium non esse tale judicium reflexum, sed sufficere, quod apprehensio quadam conclusionis objectivæ assensum formalem conclusionis aut antecedit, aut concomitetur. Ratio primæ partis est, quòd multi rectè discurrant, absque eo, quòd Judicium habeant tale reflexum de bonitate formæ, rectæque illationis, utpote nescientes, in quo ea consistat. Et verò, si juxta Advers. præmissæ se solis sufficientes sunt, ut Intellectum determinent ad hoc Judicium reflexum, cur non similiter hoc omisso ad ipsam conclusionem; cum non contineant nisi meram connexionem extremorum cum medio?

quæ

quæ si potest Intellectum determinare ad reflexè judicandum, quòd ritè inferat talem conclusionem ; poterit quoque ad ipsam conclusionem inferendam , modò adlit apprehensio conclusionis objectivæ, de qua elicienda est formalis conclusio. Hinc jam ratio secundæ partis est, quod conclusio formalis directè & exercitè affirmet connexionem extremorum propter connexionem eorundem cum medio in præmissis ; hæc autem connexio extremorum non fuerat formaliter cognita per præmissas, ut quæ solam judicant connexionem eorum cum medio ; neque per actum alium antecedentem, ut suppono ; debet ergo quædam illius apprehensio antecedere, aut comitari actum conclusionis, cum omne Judicium nostrum, saltem ordinariè, aut præcedat, aut concomitetur apprehensio simplex ejusdem objecti. Deinde nisi requiratur talis apprehensio simplex conclusionis objectivæ, non esset ratio, cur Intellectus ex præmissis istis inferret potius hanc, quam debet, conclusionem, quàm aliam quantumvis disparatam ; hoc autem ne faciat, dirigitur ab ista apprehensione conclusionis objectivæ. Neque enim id refundi potest in ipsas præmissas, quæ talium scilicet, & non aliorum extremorum cum medio connexionem representabant : Nam quòd talia, & non alia connectant extrema cum medio, non ideo connectunt talia, & non alia etiam inter se ; quod proinde ut fiat per ipsum actum conclusionis, debet illum vel antecedere, vel concomitari ad minus apprehensio connexionis talium, & non aliorum extremorum inter se. CXXCV.

CXXCV. *Dices:* Habitis eisdem aut similibus Præmissis, sæpè fit, ut unus eliciat conclusionem, alter non eliciat, sed hæreat suspensus; cujus alia non est ratio, nisi quod unus per reflexum Judicium cognoscat bonitatem illationis, alter non; ergo signum est, quod tale Judicium, saltem tenue, semper antecedit conclusionem. *Sed R.* Idem tibi Argumentum esse solvendum: quæro enim, cur unus habeat tale judicium reflexum, alter non? nisi quod unus meliùs penetret præmissas, & principia directiva Syllogismi. Eadem ergo sit ratio, cur unus eliciat conclusionem, alter non. Deinde ex hoc argumento tantùm sequitur, quod subinde in materia obscura, & forma minùs perfectâ, tale judicium possit intervenire, quod libenter do, nego tamen id fieri semper ac necessario. Idem potest contingere, cum quis artificialiter, & reflexè advertendo ad regulam Syllogismi, operatur; quanquam neque tunc sit necessario actus iste reflectens judicativus de bonitate illationis, sed sufficiat apprehensio; sive tamen sit apprehensio, sive judicium, non constituet inadæquatè talem discursum, sed tenebit se ex parte principii ipsum dirigentis; nulla autem regula, & quidquid se tenet ex parte ipsius, intrinsicè constituit arte-factum. *Dices iterum:* Ideo Intellektus è præmissis infert conclusionem, quia judicat objectum conclusionis esse connexum cum objecto Præmissarum; ergo antecedenter ad actum conclusionis habet judicium reflexum de bonitate illationis. *Sed R.* Quia hoc judicat

Logica.

S

per

per actum Judicii distinctum, actertium, quod signatè dicat, illam conclusionem rectè deducit à præmissis *Neg.* quia post judicatum objectum præmissarum, habitamque apprehensionem conclusionis objectiva, hoc exercitè per ipsum actum conclusionis affirmat: *Conc.* Aliud ergo est, exercitè unum ex alio inferre; aliud signatè judicare, hoc ex alio rectè inferri posse: Secundum non requiritur; primum ipse præstat actus conclusionis, quem Intellectus elicit, de terminatus à præmissis, & apprehensione conclusionis objectiva.



ASSERTIO XII.

LOGICALIS.

Demonstratio est Syllogismus scientificus, requirens Præmissas simpliciter certas & evidentes; quæ sunt semper certiores & evidenciores Conclusionem quàm tali. Scientia actualis potest in eodem Intellectu stare cum actu opinionis & fidei; imò actus idem esse Scientia-Fides-Opinio. Specifica Scientiarum Distinctio non desumitur per ordinem ad diversam abstractionem à materia, sed per ordinem ad objecta, præcipue formalia, notabiliter diversa.



I.

Syllogismus scientificus, requiritur simpliciter certas & evidentes.

Quod supra Num. 169. dixi generatim circa discursum, accipi; ita & hic Demonstratam species discursus, potest latè, & strictè. Demonstrat est Syllogismus scientificus, præmissis scientificis. Strictè, est sola conclusio, è præmissa, vocaturque scientia actus demonstrationè latè sumptam dicitur *Syllogismus faciens scire: eam demonstrationem quia, sive à posteriori demonstratur per effectum, ut si inens per suum consequens: ut si inem esse rationalem, ex eo, inens, aut ex Creaturis existentem demonstrationem propter quod, quia effectus demonstratur aliudve consequens per suum effectum ut si demonstres hominem esse rationabilem, ex eo, quod sit rati- quandoque contingat, unum demonstrari per aliud concomitante prius sit, neque posterius: non erit admittenda necessario rationis gratia; sed quæcunque à vulgari modo loquendi potest prioribus fieri, annumerari. Ut hæc demonstratio tam à priori, quam*

ASSERTIO XII.

... à posteriori, alia est perfectissima, sive
... tissima, alia simpliciter perfecta: à priori
... e perfectissima est illa, quâ prima passio demon-
... atur per essentiam V. G. admirativum de ho-
... ue per rationale: à priori perfecta est, per
... am aliud quid à prima rei passione demon-
... atur à priori. Econtra à posteriori perfe-
... tissima est, quâ per primam passionem de-
... onstratur essentia V. G. rationale per ad-
... irativum de homine: Quod si aliud quid à
... posteriori, vel per aliud medium demonstre-
... ar, erit Demonstratio à posteriori simpliciter
... perfecta.

CXXCVII. Adhæc sive Demonstratio
... at à priori, sive à posteriori, requirit sim-
... liciter præmissas certas & evidentes: Cùm
... nim Conclusio Demonstrationis sit actualis
... cientia, quæ est cognitio certa & evidens
... equeat autem esse talis, nisi deducatur è præ-
... missis pari modo certis & evidentibus, ali-
... cutura præmissam debiliorem ex dictis *Nu-
... 78.* oportet quoque præmissas esse tales. Et
... utem certitudo formalis, quæ reperitur
... præmissis formalibus, adhæsiō firma Intel-
... tūs ad objectum, quod vel moraliter, vel phy-
... sicè, vel etiam metaphysicè, non potest alite-
... e habere, quam enuncietur per illas, pro ratio-
... e diversa certitudinis, quam habere possunt
... si enim hoc addatur, sed quæcunque adhæsi-
... intellectūs firma faciat certitudinem in actu
... riam poterit hoc nomine quæcunque pert-
... acia, propriiq; iudicii æstimatio, quantum v-

impr

ari; quod constat falsum esse.
 ormalis, quæ est in præmissis,
 lam specialis in his actibus,
 lucidè perspicit Intellectus,
 se habere, sicut per hos actus
 e omnis ratio dubitandi, aut
 itum planè adimatur.

Dixi : *Præmissas simpliciter*
es : Quod enim Quidam
 er ad omnem Demonstrat
 is primas, per se notas, abso
 & universales, est nimium.
 itæ sunt demonstrationes, in
 er alia principia à priori de
 , non sunt ergo ipsæ om

Imò velle hoc modo re
 onstrationem præmissas pri
 n tollere demonstrationem,
 mmediatè ex primis princi
 clusionem. Sed neque ad
 rationem necesse est, ut præ
 respectivè ad talem conclu
 mmediatæ, sic ut inter ipsas
 onem non intercedat medi
 um, per quod eadem con
 us demonstrari posset : cum
 nda aut tertia passio demon
 am, omisâ passione primâ,
 mediare. *Secundo* : sunt mul
 es, ubi præmissæ non sunt
 n quo ad se, quia scilicet ta
 n est de essentia subjecti, sed

per aliud medium prius debet aut potest innotescere: ut cum essentia demonstratur per proprietatem, aut una proprietas per aliam. Dico saltem quoad se, nam cujusvis demonstrationis præmissæ sunt per se notæ semper illis, qui talem demonstrationem actu habent, utpotè quarum veritas ipsis certò & evidenter constat, & ex quibus unice talem conclusionem demonstrativam deducant. *Tertio*: potest veritas, in se contingens, certò & evidenter cognosci, & ex præmissâ contingente, sed suppositâ semel verâ, deduci certò & evidenter; non est ergo necesse, ut in omni demonstratione sint præmissæ absolutè necessariæ. Talis autem demonstratio V.G. est hæc: Omnis cogitans existit: Ego cogito; ergo existo: ubi conclusio certa quidem & evidens, absolutè tamen contingens est quamvis suppositâ veritate minoris, necessaria. Hoc ipsum est, quod communiter docent Theologi, posse ex creaturarum existentia, quæ in se absolutè contingens est, demonstrari Deum. *Quarto* denique: potest per Syllogismum expositoryum fieri perfecta Demonstratio, quid enim deest huic ad perfectam Demonstrationem? *Hic homo est animal: hic homo est rationalis: ergo aliquod rationale est animal.* Et de Deo, maximè singulari, variæ possunt institui perfectæ demonstrationes, ut nôrunt theologi: non est ergo semper necesse, ut præmissæ Demonstrationis sint universales. Unde jam, si quandoque Aristot. id genus præmissas ad Demonstrationem requirit, intelligendus est de Demonstratione perfectis.

LOGICALIS. 279
conditiones ista ut plurimum
de quavis perfectâ.

II.

*certiores & evidentiores Conclu-
siones, quâ tali.*

Veritas potest una esse major
terâ vel intensivè & gradua-
tivè & substantialiter: inten-
siva intellectus ex vehementio-
re aut inclinatione suâ majore,
adhæret, quam alteri. Ap-
paret, cum intellectus ita adhæ-
ret, ut si negandum esset alte-
ri negaret aliud, quàm hoc, cui
adhæret. Sic intensivè magis
adhæret veritati, quòd homo sit
homo, quia vivacissimas ejus
facultates, estque objectum magis in-
proportionatum; quàm illi,
quod Christus sit in Eucharistia: huic
adhæremus appetiatiave. Hoc
est assertio: quod præmissæ
appetiatiave sint certiores
conclusionem quâ tali; quâ tali
potest, ut conclusio quæ ta-
ntialiter secundum se accepta,
est evidens: sicut quæ talis potest
certa, & evidens, etsi præ-
missæ. Ratio assertionis est pri-
mario quâ talis sit unicè certa &
præmissas; omnis enim notitia
est omne eidem quâ tali firmi-
tate à præmissis, quia propter ob-
jectum

jectum præmissarum intellectus unice assentitur objecto Conclusionis : jam verò propter quod unumquodque est tale, illud magis tale, ut habet commune Dictum ; ergo. Ratio est secundò , quod præmissæ quæ tales sunt magis immediatæ , & propiores naturali lumini rationis , conclusio autem magis ab eo distet , quia assensus est tantùm mediatus : Item quod præmissæ magis accedunt ad actus intuitivos, & modum cognoscendi angelicum ; sunt ergo evidentiores & certiores conclusione quæ tali. Ratio specialis est tertio contra Arriag. qui concedit quidem esse evidentiores, sed negat etiam certiores : quod præmissæ, ut concedit Arr. sint conclusione quæ tali evidentiores, ergo & certiores: licet enim non valeat argumentum à certitudine ad evidentiam, quia datur actus fidei divinæ certus, sed inevidens, valet tamen ab evidentia ad certitudinem: cum omnis actus evidens sit certus , & quàm evidens, tam certus ; imò evidentia, secludendo pertinaciam, piàmque voluntatis affectionem, sit radix certitudinis, hoc est adhæisionis firmæ intellectûs ad objectum.

CXC. *Neque dicas* I. Dictum illud: *Propter quod unumquodque tale, illud magis tale, non tenet, ut mille exemplis ostendi potest : Sic enim primò paries est albus, propter albedinem ei unitam, an ideo albedo unita parieti est magis alba ? Secundò : Ego sum homo, quia animal rationale, an ideo meum animal rationale est me magis homo ? Tertio : Deus amat hominem propter gratiam, quam habet, an ideo*

ideo magis amat gratiam ? *Nam dico* : Tenere semper, si hæ conditiones adsint 1. Si utrumque, inter quæ sit comparatio, sit talis denominationis capax ; & hujus defectu non tenet exemplum primo loco allatum. 2. Si prædicatum tale suscipiat magis & minus ; & hujus defectu non tenet secundum. 3. Si id, propter quod convenit, sit ratio adæquata talis convenientiæ ; & hujus defectu non tenet tertium, cum sola gratia, etiam extra tale subiectum posita, non sit adæquata ratio amoris divini specialis, ut constat, si poneretur in lapide. Jam verò conveniunt hæ conditiones omnes præmissis respectu conclusionis : Nam & hæc & illæ capaces sunt denominari certæ & evidentes ; certitudo etiam & evidentia admittunt magis & minus ; totaque ratio certitudinis & evidentiæ, quæ est in conclusione quæ tali, sunt præmissæ : ergo. *Si instas & dicis* : Hinc sequi, quòd, cum credo articulum Fidei propter Authoritatem revelantis Dei, eique firmiter adhæreo, tamen adhuc firmius adhæream auctoritati & revelationi divinæ. *Dico* : Quòd si Certitudo Fidei Divinæ admittat magis & minus, saltem respectivè ad objectum ejus materiale & formale, te rectè concludere, posito tamen, quòd non sola Dei Authoritas, sed & ipsa revelatio constituat objectum formale Fidei Divinæ. Si verò non admittit, cessat argumentum ex modò dictis. Idem dico, si suppositâ formali discursivitate Fidei Divinæ, conclusionem talem compares cum præmissis. Idem repeto, si adducas Conclusionem Theo-

logicam, ubi conclusio quidem non est actus, sed objectum Fidei, eò quòd deducatur ex una saltem Præmissa de Fide.

CXCI. *Neque dicas 2.* Actus ille clarior est ac certior, qui plures habet rationes, quibus probetur; has præ præmissis habet conclusio, quia præter rationes omnes præmissarum, habet insuper præmissas ipsas: ergo. *Nam* falsa maj. est; prima enim principia nullam omninò rationem habent, quâ probentur à priori, & tamen sunt evidentissima atque certissima. Actus igitur ille est certior, qui ex modo suo tendendi facit Intellectum adhærere firmiùs objecto; ille, qui clarior, evidentior, utrumque præ conclusione quâ tali habent præmissæ. *Si dicis*: Præmissæ sunt causa necessaria conclusionis, ergo transfundunt in eam omnem evidentiam ac certitudinem quam possunt, ergo omnem quam habent. *Dico*: Vacillare ultimum consequ. Transfundunt enim quantam possunt, sed non quantam habent, quia facere non possunt, ne conclusio quâ talis sit assensus mediatus, & assensus unice propter ipsas elicitus, adeoque ne sit minus certa & evidens, quàm sint ipsæ. *Si dicis iterum*: Intellectus naturali lumine, & quidem æquali, novit esse eadem inter se, quæ sunt eadem cum tertio; in præmissis autem extrema judicat esse eadem cum tertio, quæ in conclusione judicat esse eadem inter se; & per consequens non potest esse certior de veritate præmissarum quàm conclusionis. *Dico*: Non posse quidem, quantum est ex parte objecti; posse tamen, quantum est

ex

ex parte ipsius Intellectus, & modi adhaerendi. Cum enim obiectum idem proponatur Intellectui aliter in praemissis, aliter in conclusione: & in illis quidem velut motivum formale unicum assentiendi, & immediatè; in hac verò velut obiectum purè materiale & mediatè; aliunde autem possit Intellectus eidem obiecto, aliter & aliter proposito, magis aut minus firmiter adhaerere; illudque magis aut minus perspicere: hinc est, quòd eidem obiecto magis adhaereat in praemissis, cognoscátque clariùs, quàm in conclusione, magis adhaereat identitati duorum cum medio, quàm eorundem identitati inter se.

CXCII. *Neque dicas 3.* Si ex hoc Anteced. *Petrus est animal rationale, inferam; Ergo est homo, non apparet, in quo praemissa ista possit esse certior & evidentior conclusione. Idem est, si ex hoc Ant. universali: omnis homo currit, inferam: ergo Petrus currit: cum antecedens illud longè plus contineat, quàm consequens, & consequens singulare contineatur in antecedente universali, velut pars in toto. Nam cum utrobique praemissa sit ratio formalis unica assentiendi consequenti, erit illa ex ratione datà appretiati vè certior & evidentior istà conclusione quàm tali, quamvis materialiter & secundum se accepta sit aequè clara & certa, vel etiam clarior & certior, quàm praemissa pari modo materialiter, & secundum se accepta. Nec refert, quòd conclusio ista singularis contineatur implicite in praemissa universali: Nam hoc non impedit explicitum Assensum ejus media.*

mediatum in conclusione, & sequentem unice ad ejusmodi præmissam, ne tollatur omnis vis syllogistica. Illud porro quod addebatur, præmissam illam universalem plus continere, quàm contineat conclusio singularis, falsum est de conclusione quâ tali, cùm sic reflectat super præmissam, neque suum tantum, sed & totius præmissæ objectum denuo affermet, secundum dicta *Num.* 181. Ad extremum illud hîc notandum est, quòd, sicut præmissæ Demonstrationis sunt certiores & evidentiores conclusione quâ tali; ita pariter præmissæ probabiles sint probabiliores conclusione quâ tali, paritate rationis omninò sic exigente.

III.

Scientia actualis potest in eodem Intellectu stare cum actu Opinionis & Fidei.

CXCIII. **S**cientia actualis est Conclusio certa & evidens: Huic suo modo opponuntur: Opinio, Fides, Dubitatio, Suspicio, Scrupulus, Error. *Opinio* est assensus probabilis, præstitus objecto propter motivum intrinsicum alicujus momenti, quodque possit virum prudentem movere ad assensum, ita tamen, ut formidinem habeat saltem radicalem de opposito. Est autem formido radicalis, quæ merito haberi posset de objecti veritate, quantum est præcisè ex vi talis motivi probabilis, hîc & nunc tamen aliunde impeditur, ne sit, nimirum, quia scitur aliunde, sic objectum se habere. *Fides* est assensus objecto præstitus propter autoritatem dicentis; addunt aliqui, obscuro-

obscurè cognitam, eò quòd ab omni fide, ut
 ides est, exclusam velint quamcunque eviden-
 tiam. Quòd si jam authoritas est revelantis
 Dei, propter quam objecto datur assensus, Fi-
 des Divina dicitur; si dicentis hominis, huma-
 na. *Dubisatio* est tam assensus, quam dissensus
 suspensio; sive jam id fiat, quòd utrimque
 rationes videantur esse æquè prægantes, &
 dicitur dubium positivum; sive quòd pro neu-
 tra parte sint sufficientes, & dicitur Dubium
 negativum. *Suspicio* est Judicium imperfectum,
 & nisi sit omnino temeraria, nitens probabili
 conjecturâ. *Scrupulus* est levis suspicio, vel
 anxia quædam formido, ex levi ratione orta.
Error denique est Judicium falsum. Porrò ex
 his actibus, certum videtur, non posse stare
 simul cum Scientiâ actuali in eodem Intellectu
 de eodem objecto materiali, Dubitationem, &
 Suspicionem fundatam, quæ Intellectum red-
 dat anxium de objecti veritate, cum Scientia
 actualis reddat Intellectum omnino securum,
 & imperturbatè adhzrentem objecto, utpotè
 quod vi illius clarè & evidenter cognoscit ita
 se habere. Sed neque errorem directè oppo-
 situm Scientiæ, ne falsum dicat, quod evidenter
 cognoscit esse verum; & simul assentiatur
 duobus contradictoriis. Dico *Errorem directè
 oppositum*: Nam si actus vel omnino oppositi
 non sunt, vel indirectè tantum, stare simul pote-
 runt. Sic enim possum ex ratione evidenti judi-
 care: V. G. Animam rationalem esse immorta-
 lem, & simul actu erroneo affirmare hoc ip-
 sum, quia Epicurus dixit: ita nos evidenter

scipè

sapè cognoscimus unum prædicatum rei, & tamen negamus alterum, quod reverà est idem cum illo, etsi quod idem verè sit, nesciamus. Sed ut ego simul evidenter sciam, quod anima rationalis sit immortalis, & simul actu erroneo judicem directè oppositum, quod nempe mortalis sit, hoc est, quod stante Scientiâ illâ non possum.

CXCIV. Quæstio ergo tandem recidit ad Opinionem & Fidem, an hi actus stare possint simul in eodem Intellectu cum actuali Scientiâ de eodem objecto materiali? Quod affirmat præsens Assertio contra plerosque Scotist. & Thomist. Et ratio ejus est, quòd nulla prorsus in hoc appareat repugnantia: Non ex parte Intellectûs, ut qui plures simul actus habere potest; neque ex parte objecti materialis, ut quod unum est idemq; &, saltem divisivè, potest ex motivis singulis judicari; neque ex parte objectorum formalium, ut quæ simul Intellectui possunt exhiberi, & cur non distinctis actibus judicari? Non denique ex parte ipsorum actuum, ut qui nullam inter se pugnam habere possunt, nisi ratione objectorum formalium, quæ tamen nullatenus pugnare dixi. Et verò si potest voluntas idem objectum amare simul per actus inæquales ex diversis motivis; si potest idem oculus videre idem objectum clarè simul & obscurè, per diversa Specula; cur non idem Intellectus judicare idem objectum diversis actibus inæqualibus, & quorum unus sit clarus, alter obscurus? Certè malo loco esset Philosophus Christianus, qui
Deum

Deum demonstrare potens, non posset stante hac evidentiâ in Deum credere. Neque credidisset S. Thomas, cùm videns Christum in Carne redivivum, Eum resurrexisse credidit, quem antea tam turpiter negarat. Unde jam, si quandoque Philosophus, & Doctor Angelicus innuunt, quasi non possit cum Scientiâ stare simul Opinio: intelligendi sunt de Opinione, quæ adjunctam habeat actualera formidinem de opposito. De cætero sat clarus est locus S.D. 3. P. Q. 9. A. 3. ad 2. ubi sic ait: *Opinio ex Syllogismo dialektico causata, est via ad Scientiam, qua per Demonstrationem acquiritur; quâ tamen acquisitâ, potest remanere cognitio, qua est per Syllogismum Dialecticum.*

CXCV. Sed audire magis juvat, quid ex ratione contrâ moveant Adversarii. *Dicunt 1.* Nequeunt esse simul in eodem aëre Lux & Tenebræ; ergo nec in eodem Intellectu Scientia, & fides, aut opinio; cùm Scientia sit lux Intellectûs, fides autem & opinio tenebræ. *Sed facilis est Resp.* Quod Fides aut Opinio non opponantur privativè Scientiæ, sed ad summum quasi contrariè; neque enim sunt carentia omnis lucis in Intellectu, sed & suo modo quædam lux, etsi minor, quàm lux Scientiæ. Et hinc Fides Divina vocatur *Lumen, quo illustratur homo*: Et à S. Petro: *Lucerna lucens in caliginoso loco.* Imò licet Fides & Opinio dicerent privationem omnis lucis in se, non ideo excluderent omnem lucem ab Intellectu, quam is habere posset vi alterius actûs, qui formaliter esset lux. *Urgent:* Habebunt ergo se Scientia,

&

& Fides aut Opinio, respectu Intellectus, sicut se habet Lux major V.G. Solis, & lux minor V.G. candelæ respectu aëris: Sed aër informatus à luce Solis, nequit illuminari à luce candelæ; ergo nec intellectus à luce Scientiæ actualiter informatus, illuminari potest à luce Fidei aut Opinioni. Cujus ratio quoque à priori est, quòd Agens, quando passum invenit instructum formâ perfectiore, non agat in illud, conando formam similem inducere. *Sed ad hoc etiam negatur paritas*: Lumen enim Solis & candelæ est ejusdem rationis, ideoque forsân non agit candelæ in aërem jam à luce Solis informatum, eum amplius illuminando, ne simile agat in simile: Lumen autem quod afferunt intellectui actus isti, est rationis diversæ, neque potest unius lux intendi à luce alterius, cum neque uniantur, neque se habeant velut gradus ad faciendam unam lucem intensiorem. Hinc jam patet, quid dicendum sit ad rationem à priori, eam scilicet tenere tantum, cum formæ sunt ejusdem rationis, secus cum diversæ.

CXCVI. *Dicunt 2.* Idem Intellectus nequit esse simul liber, & necessitatus ad Assensum; convictus, & non convictus; certus, & non certus: id autem fieret, si de eodem objecto haberet scientiam simul & opinionem aut fidem. *Sed Respons. est facilis*: Hæc omnia habiturum simul eundem Intellectum, sed respectivè ad diversa motiva, & accipiendo hæc prædicata positivè, non exclusivè, sicut reverà positiva sunt: Nam sicut evidentia & certitudo, quæ est in actu scientifico, realiter ipsi identificatur, sic

fic obscuritas & incertitudo, quæ est in actu opinionis aut Fidei, realiter identificatur ipsis, adeoque sicut actus isti, ita & hæc prædicata sunt verè positiva. *Neque licet hinc inferre*: ergo simul Intellectus judicabit, objectum ita necessariò se habere, & posse habere se aliter: *Nam* licet possit dicere, objectum posset aliter se habere, quantum est præcisè ex motivo probabili; judicare tamen absolute & simpliciter non potest, stante Scientiâ, quòd aliter habere se possit, quia sic cum Scientiâ stare actualis formido, quam tamen ex natura sua excludit Scientia, non solum à se, sed etiam ab Intellectu, quem actualiter informat, cum evidenter ipsi exhibeat, objectum ita se habere, sicut ipsa repræsentat.

CXCVII. *Dicunt* 3. saltem fides divina stare nequit cum scientia, quia fides juxta Apostolum, est *argumentum rerum non apparentium*, & juxta S. Aug. *Fides est, credere, quod non vides*. Sed *Neg. Aff.* fides quidem est argumentum rerum modò non apparentium, & credere, quod jam non vides per ipsum motivum fidei, utpotè quod obscure tibi in hac vitâ proponitur, saltem quantum est ex parte revelationis: sed hoc non obstante potest objectum materiale fidei aliunde sciri; quomodo enim aliàs tu credes Deum esse, cujus existentiam suppono tibi evidenter esse notam? *Urgens*: saltem fides humana non stat cum scientia, experientia enim testis est, quod non credimus ea homini dicenti, quæ aliunde certò constant, V. G. si quis veller, interpositâ auctoritate suâ, tibi

Logica

T

per

persuadere, ut credas te vivere. *ad hoc respo-*
sio non est uniformis omnium : Docet enim
Kon. Diss. 11. de Fide, non posse naturaliter
 stare cum scientia planè perfecta fidem huma-
 nam ; negat tamen adhuc de fide divina , eò
 quòd hæc magis roboret intellectum , quam
 quævis scientia naturalis etiam perfecta. *Alii*
dicunt, posse cum scientia , etiam quantumvis
 perfecta, stare naturaliter fidem humanam, ne-
 que facturum te in casu posito imprudenter, si
 non modò judicares te vivere , quia certò ex-
 periris, sed etiam crederes homini , illud tibi
 asseveranti. Quod autem ut plurimum non
 experiaris, te à tali autoritate in ejusmodi re-
 bus clarissimis moveri, putant ex eo esse, quod
 cum scientiam ita certam habes , non labores
 magnoperè de tali autoritate extrinsecà , ut-
 pote quam eminenter continet motivum sci-
 entiz , in ordine ad præstandum tali objecto
 simpliciter assensum. *Sed* quidquid sit de hoc,
 videor mihi posse, sive prudenter, sive impru-
 denter , non disputo, quia non facit ad præ-
 sens, si tantùm volo , etiam tali casu credere
 homini, tale quid asseveranti.

IV.

Imo actus idem esse scientia - fides - opinio.

CXCVIII. **R**atio omnino est eadem, quæ as-
 sertionis præced. quæ enim in
 hoc repugnantia, ut propositis sive simul, sive
 successive, tribus ejusmodi motivis circa idem
 objectum materiale , intellectus actu unico
 propter omnia simul ista tali objecto materia-
 li

li assentiatur? & cur nequeam mente formare talem syllogismum: substantia spiritualis, & quam Deus dixit esse immortalem, est immortalis; talis est anima mea; ergo anima mea est immortalis? certe si potest intellectus actu unico judicare duo simul objecta materialia omnino disparata V. G. quod Petrus sedeat Coloniae, & Paulus stet Romae: cur non idem objectum materiale propter objecta duo formalia? *Quod* si putas, actum talem fore simul evidentem & obscurum, certum & incertum, liberum & necessarium, naturalem & supernaturalem, quae praedicata non cadant simul in unum idemque subjectum: *Non est*, quod metuas: quamvis enim praesens & comparative ad diversa motiva, haec omnia posset praedicata unus idemque actus sustinere, V. G. dici praesens obscurus & incertus, quantum scilicet est praesens ex motivo opinionis, abstrahendo formaliter à motivo scientiae; revera tamen actus ille foret simpliciter evidens, non obscurus, simpliciter certus, non incertus, simpliciter liber, non necessarius, & si est insuper fidei divinae, simpliciter supernaturalis, non naturalis: quia vi talis actus simpliciter intellectus clarè perspiciet objectum materiale quod judicat, eique firmiter adhærebit; sed & ratione motivi probabilis subiacebit imperio voluntatis, quae à tali actu eliciendo poterat intellectum prohibere, etsi fortè cohibere non poterat assensum merè scientificum: sicut motus navis, qui causatur à vento simul & remigibus, simpliciter est liber, esto venti solius impetus

evitari non possit ; ac denique procedet simpliciter à principio supernaturali influente, unde solent Theologi supernaturalitatem actuum desumere. Cujus ratio à priori est, quod esse evidens, esse liberum, esse supernaturale, non modò sint prædicata positiva ; sed & in ejusmodi denominationibus soleant positivè à nobis explicari, sic, ut vel ratione univ. nius, tota talis dicatur esse denominatio: è contra esse inevidens, esse incertum, esse necessarium, esse naturale, quamvis prædicata in se verè positiva sint, negativè tamen in id genus denominationibus à nobis explicantur, ideòque tota talis non dicitur esse denominatio, nisi quovis absente contrario. *Si quaeris*: an ergo illa certitudo, & evidentia, quæ dicitur actui convenire simpliciter, causetur à solo motivo scientifico, an vero simul à reliquis? & causari quoque à reliquis, realiter loquendo, quia pendet actus simpliciter à motivis istis omnibus: sicut actus fidei divinæ realiter loquendo, supernaturalitatem suam habet ab intellectu etiam naturali, & vitalitatem ab habitu fidei non vitali: *Nec refert*: quòd motivum opinionis nullam in se habeat certitudinem, neque motivum fidei evidentiam: *hinc enim tantum sequitur*, quòd se solis nequeant causare certitudinem & evidentiam in actu, non quòd nequeant conjuncta cum motivo scientifico, ut constat in simili jam allato, de actu fidei procedente ab habitu & intellectu. *Si dubitas adhuc*, quomodo sit actus iste simpliciter evidens & certus, esto motivo simul nitatur

ine-

inevidente & incerto, cum tamen actus Con-
clusionis, si vel unicâ nitatur præmissâ inevi-
dente & incertâ, sit simplicitet inevidens &
& incertus: Meminisse oportebat, quod præ-
missæ simul junctæ contineant unam Extremo-
rum connexionem cum medio, atque ita simul
unum & unicum motivum Conclusionis, quod
proinde, si est simpliciter debile, necesse est, ut
& eo nitensunicè, sit debilis Conclusio: è con-
tra objecta hîc motiva sunt plura, pluresque
connexiones objecti materialis ejusdem cum
mediis sive objectis formalibus diversis, à quo-
rum vel unico evidente & certo, simpliciter
certi & evidentis denominationem trahit
actus, ex ratione paulo antè data.

CIC. *Sed obmovebis ad huc:* Species oppo-
sitæ nequeunt coalescere in unam essentiam;
opinio, fides, scientia, sunt species actuum in-
tellectus oppositæ, quæ hîc in unam essentiam
coalescerent; esset enim unus & idem actus, &
opinio; & fides, & scientia, ergo. & opinio
tantum, fides tantum, scientia tantum, sunt a-
ctus specie distincti, qui nunquam possunt in
actum realiter unum, eandemque speciem coa-
lescere, quia verum fieret ens rationis, transi-
tus nempe distinctorum in unam identitatem;
sed quod actus aliquis quartus, & specie diver-
sus ab illis, sit simul opinio, fides, & scientia, at-
que ita virtualiter & æquivalenter habeat u-
nus, quod isti tres, in eo nihil est repugnantia;
imò simile habes de facto in anima tua, quæ &
vegetativa, & sensitiva, & rationalis est, adeo-
que continet una virtutem animæ, & bruto-
rum

rum & plantarum; neque tamen coalescit ex
 anima plantæ, quæ est vegetativa tantum, & ex
 anima bruti, quæ est vegetativo-sensitiva tan-
 tum, ac denique ex rationali tantum. *Neque hinc
 inferas*: posse ergo similiter dari animal, quod
 & rugibile sit & hinnibile, adeoque simul leo
 & equus: *nam* etsi forte fieri possit, ut sit ani-
 mal, quod & rugiat & hinniat, imò quod u-
 num contineat totam perfectionem & leonis
 & equi; non tamen ideo erit leo & equus: sicut
 de facto datur mulus ex equo & asina, qui ta-
 men non est equus & asinus; & lycisca ex lupo
 & cane, neque tamen lupus est & canis, eò
 quòd hæc nomina instituta sint ad significan-
 dum unum, cum ex exclusione cujusvis alte-
 rius, ideòque non cadant plura in unum. *Si
 dicis*: tamen veræ erunt hæc propositiones: fides
 est scientia, opinio est evidens, aliaque id ge-
 nus: *Dico*, in sensu reali veras fore; sed has ne-
 quidem in sensu reali: Scientia est obscura:
 Fides Divina est incerta: Opinio est inevidens
 &c. eò quòd hæc prædicata in sensu reali non
 conveniant simpliciter actui, de quo loqui-
 mur. Tandem *Si queris*: Sub quo genere collo-
 candus esset hic actus, & qualem post se relin-
 queret Habitum? *R. ad primum*: Collocari
 posse & sub genere Scientiæ, & Opinionis, &
 Fidei, sic, ut dicas: Scientia alia est Scientia
 tantum, alia Scientia-Opinio; & Opinio alia
 est opinio tantum, alia Opinio-Scientia &c.
 Sicut potes animam tuam collocare & sub ani-
 ma vegetativa, & sub sensitiva, dicendo: Ani-
 ma vegetativa alia est vegetativa tantum, alia
 simul

simul sensitiva, alia in super rationalis: & anima sensitiva alia est sensitiva tantum, alia sensitiva simul & rationalis. *Ad secundum* 12. Sine incommodo dici posse, & quod tres relinqueret Habitus distinctos, & quod unum tribus equivalentem.

V.

Specifica Scientiarum Distinctio non desumitur per ordinem ad diversam abstractionem a materia, sed per ordinem ad objecta, precipue formalia, notabiliter diversa.

CC. **T**Riplicem Thomistæ statuunt abstractionem à materia: *Primam* à materia singulari tantum, cum res representatur ut à sua Individuatione liberata, sed adhuc vestita quantitate, cæterisque accidentibus. *Alteram* à materia singulari & sensibili; cum representatur etiam ut ab accidentibus sensibilibus immunitis. *Tertiam* denique à materia singulari, sensibili, & intelligibili, cum præcisè consideratur secundum prædicata, quæ sunt Enti tam spirituali, quàm materiali communia. Secundum hanc triplicem abstractionem à materia tres statuunt Scientias totales: primam attribuunt physicæ, secundam mathesi, tertiam Metaphysicæ. *Contra Hos* statuit præsens Assertio, specificam Scientiarum totalium distinctionem nequaquam desumi per ordinem ad talem abstractionem à materia; sed ab objectis, precipue formalibus, unius & alterius notabiliter diversis. Ratio fundamentalis est, quod Scientia totalis actualis sit aggregatum

ex multis partialibus actualibus, quæ partiales singulæ cum specificentur ab objectis suis, necesse est, ab eisdem objectis in unam rationem aliquam communem collectis, specificari quoque totalem, id quod præcipuè locum habet in objectis formalibus, à quibus potissimum specificantur actus. Jam verò cum ab actibus pariformiter sit argumentandum ad Habitus, qui ex ipsis generantur, idem erit consequenter dicendum de Scientia totali habituali: vide dicta Num. 45. Accedit: quòd in nonnullis etiam Physica abstrahat à materia sensibili, V. G. dum considerat animam nostram; & Mathesis etiam in cunctis non abstrahat à materia sensibili, V. G. in Musica, Optica, &c. imò & Metaphysica agens de Deo, non abstrahit à materia singulari. Denique ubi in hoc ternario Scientiarum numero nostra Logica? ubi Ethica? an inter Scientias locum non inveniunt? Specificatio autem ista Scientiarum per ordinem ad objecta, ac præcipuè formalia, est omnino universalis, & pari gressu vadens per omnes, ut patebit consideranti.

CATALOGUS ERRATORUM.

Pag. 34. lin. ult. d. leg. ad. pag. 43. lin. 15. ipso leg. ipsa. pag. 65. lin. 8. à fin. 201. leg. 200. pag. 90. Tò sicut ex lin. 16. transfer ad lin. 15. ante Tò Qui. & ibid. lin. 17. post Tò etiam adde est. pag. 105. lin. 3. ipsam leg. ipsum. pag. 152. lin. 2. alietatis. leg. in alietatis. pag. 155. lin. 6. alietas leg. ab alietas. pag. 227. lin. 15. à fin. tum. leg. tam. pag. 234. lin. 1. verè leg. vera. pag. 237. lin. 3. post Tò contingente: add. 2do. pag. 238. lin. 5. add. exclusivæ.

FINIS PRIMÆ PARTIS.